

Michael Cobabus Ulrich Elvers

Disputatio Theologica De Peccato In Genere Et In Specie

Rostochii: Richelius, 1678

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737561637>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1678

Cobabus, Mich. *1a*

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
PECCATO

In
GENERE ET IN SPECIE,

Quam
Auxiliante DEO,

Venerandæ Facult. Theologicæ Consensu,
Sub PRÆSIDIO

DOMINI
MICHAELIS COBABI,

S. S. Theol. Doctoris & Prof. publici,

Spectabilis p. t. DECANI,

Dno. Patroni & Præceptoris sui omni ob-

servantiæ cultu devenerandi,

In Auditorio Majori

Ad diem *XXX Jan* Anno 1678.

Publicæ eruditorum examini subjicit

ULRICUS Elvers / Rost:

AUTOR & RESPONDENS.

•••):(•):(•)•••

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELIANI, Senat. Typ.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Manus.
Hann
55.7

1678

MUSARUM SUARUM
Numinibus & Nominibus Tutelaribus
TRIGÆ VENERANDÆ.

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS,

DOMINIS

DNO. MATTHEO Siebheer/
Jcto Summo, Consuli eminentissimo, Syndico
Famigeratissimo,

DNO. DANIELI Fischer/
U. J. D. Excellentissimo, Consuli undiq;
Celeberrimo,

DNO. PETRO Eggerdes/
Jcto itidem Celeberrimo, Consuli Longe-Gravissimo,

DNN. Mœcenatibus, ac Evergetis suis omni
Reverentiæ cultu æternùm devenerandi,

Hunc Theologia Fœtum,

In benevolentia continuandæ incitamentum
offert & dicat

AUTOR RESP.



Q. D. B. V.



On in scitè, sed perpulchrè dicitur: *Quàm maximam esse felicitatem, suam cognoscere infelicitatem; summamq; miseriam, suam ignorare miseriam.* Hoc præprimis de homine, ad eum si accomodetur, haud incongruè affirmandum. Consideret enim quis hominem in statibus, integritatis, & corruptionis, deprehendet in iis, & maximam felicitatem, & summam infelicitatem, atq; miseriam: In statu integritatis humani generis Parens conditus erat iustus, & sanctus, ac secundum corpus, & animam Deo per omnia obtemperabat: status igitur ille erat felix, & doloris expers, quod paulo fusiùs his verbis declarat Aug. lib. 14. de Civit. Dei c. 10. *Quid inquit, timere, vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo: nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat, quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet: & paulo post: Quàm igitur felices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum ladebantur incommodis: tam felix universa societas esset humana, si nec illi ma-*
A lum,

... quæ etiam in posterum transierent, nec quisquam ex
eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem
reciperet. Amisâ verò felicitate originali, quâ semeti-
psum privavit, se, suosq; posteros in miseriam præcipita-
vit maximam, unde & homo peccator, & gratiæ Dei ac
medicinæ indigus, appellatur. Est itaq; hâc in parte pri-
mus felicitatis gradus quoad originem suam cognoscere
infelicitatem, unde peccator factus fuerit; & summæ
miseriæ, suam ignorare miseriam, nisi enim aliquis se
peccatorem agnoscat, nec cum Apostolo exclamet: Mi-
ser Ego homø! quis me liberabit à corpore mortis hu-
jus? de gratia DEI, & merito Christi, vel medicina ani-
mæ non erit sollicitus. Quòd autem peccator sit, illud
ex collatione vitii intimè inhærentis, perversæ suæ natu-
ræ, suarumq; actionum cum DEI sanctitate, & iustitia in
lege tanquã in speculo aliquo expressa, cognoscere potest;
Nam ex lege est agnitio peccati Rom. 3. v. 20. Quapro-
pter etiam post lapsum Medico Christo indiget; qui ve-
nit ad curandum, ac servandum ægros, morbum mora-
lem agnoscentes Matth. 9. 12. 13. Secus facientes, & Pha-
risaicam stultitiam imitantes, neque vulneris inflicti
medicinam anxie desiderantes, vivunt sine sensu legis,
& nisi, veniente legis sensu, verè respiscant, in peccatis
suis intereunt. Cum igitur Articulus de peccato scitu
sit summè necessarius in Ecclesia Christiana, atque sine
eo multi Articuli fidei intelligi, & declarari nequeant,
sicut abundè elucescit è doctrina de Libero Arbitrio, de
immagine Dei, de impletione legis, de Regeneratione, de
Justificatione, de Bonis Operibus, de Baptismo, & aliis;
in lapsum Adami, ejusq; originem, & consequentem à-
nathaprius I. impuritatem, & pravitatem originalem, & a-
ctualem

Qualē, Spiritus Sancti gratiā, & auxilio, Scripturāq; Sa-
era, & Theologorum orthodoxorum libris Symbolicis
προσιας addictorum ductu, inquirere, eamq; paucis thesi-
bus unā cum ἀντίθεσι comprehendere, & absolvere mi-
hi proposui. Deus Opt. Maximus captis meis gratiosè
adspiret.

Thesis I.

Peccatum est vel primum, vel ex primo ortum. Pecca-
tum primum, vel lapsus Adami est nihil aliud, quàm
transgressio illa primæva, quā Adam primus Parens
fraudibus Satanae deceptus, mandatum ipsi à DEO datum,
liberrima voluntate violando, à DEO defecit, atque Diabolo
obsequium præstitit, eoq; ipso non solùm natura suā; sed &
posterorum integritatem perdidit, nosq; omnes, & mortis &
maledictionis reos constituit.

index.

§. I. In quo felicissimo statu ante lapsum homo primus
fuerit in natura instituta, id præprimis videre licet ex imagine
divina, ad quam conditus erat, Gen. 1, 27. Eph. 4, 23. 24. Hæc
consistebat in excellenti quadam cum DEO conformitate, & na-
turali perfectione totius hominis, omniumq; facultatum, & vi-
rium animæ, ac corporis, cum inter se, tum in ordine ad actus,
vel effectus suos, rectitudine, integritate, puritate, & cum lege di-
vina conformitate. *Primariò* erat lux, vel sapientia in intellectu,
iustitia & sanctitas in voluntate, quā virium omnium perfe-
cta harmonia sine omni perturbatione conservabatur. Nam
in primo homine nulla fuit virium rebellio, vel concupiscentia,
inordinata appetitus. Inordinatio enim à peccato est, non à na-
turā. Erant quidem in homine distinctæ propensiones appe-
titus sensitivi, & rationalis; inter illas autem nulla fuit pugna,
nam appetitus à DEO animæ sensitivæ, vel inferiori naturæ erat

inditus, qui conveniens erat rationi, eiq; sese submittebat. Rectitudinis autem originalis consequens necessarium erat impassibilitas, & immortalitas in corpore. Naturalis erat justitia originalis, quia erat conditio moralis rationali naturæ, vel homini debitæ, quæ creata erat, ut homo justè operaretur, & sanctè viveret. *Secundariò*, dominium in creaturas visibiles, quibus omnibus nonnulli etiam, respectu externæ dignitatis, paradysum, domicilium illud amantissimùm addere solent. Verùm post lapsum, vel in natura destituta, homo infelicissimò, miserimoq; est constitutus loco, ut qui primò ob præcellentiam אדם homo, ex terra creatus, & quidem ad imaginem divinam, dein אנוש miser, & abjectus homo sit appellatus qui libero Arbitrio abusus, comedit de fructu vetitæ arboris, posthabitâ comminatione Gen. 2, 17, quam tamen DEUS non in eum finem primo homini proposuit, ut peccandi ansam ei subministraret; sed materiem summæ ipsi obedientiæ præstandæ exhiberet. Nam si primus homo Creatori debitum præstitisset obsequium, bonum sibi elegisset, atqve à fructu vetitæ arboris abstinuisset, inq; concreatâ justitiâ, & integritate perstitisset, non opus fuisset remedio: tolle enim morbos, tolle vulnera, nec erit medicinæ causa. Sed verò, quia homo liberâ præceptum hoc transgressus est voluntate, fructum vetitum comedendo, è statu innocentia in peccatum incidit, è statu integritatis in statum transgressionis, & corruptionis est lapsus. Ad quem lapsum in primis Parentibus non fuit necessaria inclinatio ad peccandum, etiam anteqvam ipsi lapsi sunt. Nam inclinatio illa est vitiosa, & pugnat cù creatoris bonitate, & primi hominis rectitudine originali: Concupiscentia enim ad malum inclinans est peccatum, Rom. 7, 7. Et hoc peccatum vocatur primum, vel lapsus primi hominis, qui est principium, & caput universale totius generis humani, ex quo & ipsa Eva est condita, 1. Cor. 11, 5. Ab hoc tanquam primario parente peccatum in omnes posteros transit. Rom. 5, 12.

S. II. Primi igitur Parentes, (sicut Pelagius docuit) sub initio non conditi sunt cum illa infirmitate, ignorantia, concupiscentia, & proclivitate naturæ ad malum, quam post lapsum in nobis

nobis invenimus; sed integri, justi, perfecti, atque immortales. DEUS enim creavit hominem rectum, Ecclesiast. 7, 29 ubi primus homo dicitur rectus, à rectitudine, vel perfectione originali, quæ non denotat nudam absentiam omnis injustitiæ, vel vitii; sed etiã justitiam habitualem, & concreatam, nam $\Gamma\psi$ significat rectum, justum, & bonum. Quam justitiam habituaalem vel originalem Socinus c. 3. prælectionum negat, dicens: *Adam antequam mandatum DEI transgrederetur, justus non fuit, cum nec impeccabilis esset, nec ullam peccandi occasionem habuisset, vel certè eum justum fuisse, affirmari non potest, cum nullo modo constet, eum ulla ratione à peccando abstinuisse.* Frustra autem hæc à Socino dicuntur: nam (1) justus fuit habitualiter per justitiam concreatam, & actualiter, quamdiu in officio, & statu perfectionis permansit, atque legem DEI positivam, & naturalem non violavit: quod probat imaginis divinæ reparatio, & bonū illud originale, quod Paulus propter peccatum inhabitans in se non invenit Rom. 7. v. 18. (2) Non sequitur: Primus homo non fuit impeccabilis, ergo primus homo non fuit justus originaliter, nam justitia concreata non auferebat peccandi potentiam, (homo enim in creatione talis non erat conditus, qui non posset peccare, vel esset immutabilis, quia sola participatione bonus erat) sed peccandi voluntatem. Per illam enim homo sequebatur in statu integritatis justitiam, & voluntatem DEI. Neque (3) sequitur: justitia est perfectio voluntaria, ergo justitia primi hominis non fuit perfectio originalis; confunditur enim justitia actualis cum originali, vel habituali, quæ est perfectio concreata, & naturæ humanæ debita. Hæc voluntatem gubernabat, ut submitteret sese rectæ rationi, & voluntati DEI, faciebatq; ut homo in hæc perfectione acquiesceret, eaq; delectaretur.

§. III. *Genus* in nostra Thesi posuimus transgressionem, hæc præprimis moti ratione, quoniam peccatum Protoplastorum non tantum fuit externa quædam de fructu vitæ arboris manducatio ex abusu liberi Arbitrii orta; sed & inobedientia, & realis transgressio totius nempe legis, atque Decalogi, quod

ex singulis Decalogi præceptis per totum demonstrari potest: peccarunt enim Protoplasti nostri dubitatione, & incredulitate: mandati divini depravatione: verbi divini contemptu, & Sacrilegâ arboris sacræ profanatione: erga Patrem cœlestem benefactorem ingratitude: homicidio, quoniam se & posteros in animâ, ac corporis non solum temporalem, sed & æternam præcipitarunt mortem: intemperantiâ: inordinato amore erga uxorem à mandato divino abducentem: furto rei alienæ, & prohibitæ: falso testimonio, ejusq; approbatione: pravâ vetiti fructus concupiscentiâ, uti illud ex omnibus circumstantiis per abundanter constat ex Evæ cum serpente colloquio, Gen. 3. 1. seqq. & F. C. in Articul. Smalcald. parte 3. Artic. 1. de peccato p. 317.

S. IV. *Causa efficiens* lapsus Adami, vel peccati primi propriè, & accuratè loquendo, vel formaliter non datur; sed potius causam deficientem id, quàm efficientem, habet, uti loquitur Aug. lib. 12. de Civ. Dei cap. 7. cum enim peccatum committatur deficiendo, & recedendo à regulâ, atqve norma, qui recessus defectus potius, quàm effectus propriè dicitur, sic enim loco allegato loquitur: *Nemo quarat efficientem causam mala voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio: deficere namq; ab eo, quod summè est, ad id, quod minus est, hoc est, incipere habere voluntatem malam. Causas porrò defectuum istarum cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes velle invenire: tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium: quod tamen utrumq; nobis notum est: neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures: non sanè in specie sed in speciei privatione. Causa lapsus externa, & impellens, est Diabolus, qui impellendo, atqve persuadendo primos nostros Parentes prohdolor! per insidias circumvenit, & ad legis divinæ transgressionem suis fallacibus svasionibus sollicitavit. Interna est libera Adami & Evæ voluntas, Diabolo obtemperans. Nam voluntas etsi in se bona est, mala tamè fieri potest, aberrando à norma legis divinæ; Quamvis de Adamo 1. Tim. 2, 14. negetur, quod*

quòd fuerit seductus, hoc tamen non ita simpliciter est intem-
gendum, sed secundum quid; seductus non est videlicet prior,
nec *immediatè* à Diabolo ut Eva, sed *mediatè* per Evam: Ambo
itaq; Diaboli fraudibus fascinati, liberoq; arbitrio abusi, manda-
tum divinum violando, de arbore vetita comederunt, Gen. 3, 6.
atq; ita hâc ipsâ transgressione sibi, & omnibus posteris, omnis
generis mala, imo ipsam mortè attraxerunt Gen. 2, 17. Rom. 5, 12.
cap 6. v. ult. Hinc perpulchrè, lapsû protoplastorû considerans,
Bernhardus, hâc de re loquitur: *Sicut Adam, & Eva omnium
fuerunt Parentes; ita etiam omnium peremptores, & quod
infelicius est, prius peremptores, quàm parentes.*

§. V. *Causa instrumentalis* lapsus primorum nostro-
rum parentum, quam nobis ipsa Mosaica creationis descriptio
suppeditat, erat serpens, isq; verus, & naturalis, quæ est Theo-
logorum omnium communis sententia, quamvis & hîc, quod
non negandum, varia dentur opinionum divortia: *Josephus*
lib. 1. Antiq. Jud. c. 3. nudum, & merè naturalem serpentem fu-
isse, putat, eiq; pœnæ loco vocem adentam, ac venenum ei addi-
tum esse, scribit. *Philo Judæus* allegoricè interpretatur hoc, in
libro *ἡ ἰσομυμίας* itemq; in libro *ἀλσζορ*. *Sunt hæc
(ait) figurata documenta ad allegoria scrutationem invitanti-
a per latentes conjecturas, quas si quis sequatur, ut decet,
serpentem haud absurdè voluptatem subindicare, interpre-
tabitur.* Hunc sequitur *Origenes*, qui per virum ratio-
nem, per mulierem verò appetitum intelligit, homil: in Exod.
Concedimus & nos, quòd verus, & naturalis fuerit, quoniam cœ-
teris animantibus in Genesi descriptis, annumeratur, cum hoc
additamento Gen. 3. 1. quòd vocetur *נחש* versutus, callidus,
ubi insimul intelligitur naturalis illa calliditas, animantibus non-
nullis indita, quam calliditatem in serpente ipse Servator noster
indicat Matth. 10, 16. Non autem fuit nudus, ac merè natura-
lis serpens; sed Diabolo stipatus, obsessus, & impletus, ut Augu-
stinus loquitur, idq; probatur hisce tribus rationibus. (1) *Ex
locutione*, quæ non nisi substantiæ competit rationali. (2) *Ex
hominis*

dominis seu uisione. Verus, & naturalis serpens erat creatura DEI bona: Hic uerò loquitur serpens, mandata DEI pervertendo, hominemq; ab eo avertendo. (3) *Ex pœna adjudicatione.* Ut conculcatio capitis per semen mulieris subsecuta, Gen. 3. 15. quod non ad naturalem, sed ad infernalem omnino spectat serpentem. Conferantur cum his Joh. 8, 44. Apoc. 12, 7. ubi omnis origo mali, Diabolo tribuitur. Si hic opponatur, cum Eva fuerit ad imaginẽ DEI condita, quomodo ea nescire potuerit Diabolum ex serpente loqui. Resp. (a) Eva cum Adamo in pari agnitionis DEI luce, & creaturarum, condita fuit; Physica autẽ rerum naturalium scientia perfectior, & exquisitior esse potuit in Adamo, quàm Eva. (b) De lapsu Angelorum nihil audiverat, suspicari ergo non poterat, Angelum aliquem lapsum per serpentem loqui. Si regeratur ulterius, quomodo ergo Adam potuerit labi, cum creatus fuerit in perfecta sapientiã. Resp. Adami sapientia fuit quidem perfecta in suo genere, interim tamen limitata, & restricta, (a) *Ex parte objectorum,* non enim omnia simpliciter cognovit in individuo, sed ea tantum, quæ facerent ad ipsius finem. (b) *Ex parte subiecti,* non enim intelligebat, ut DEUS, vel ut Angeli; sed ut homo per species, vel figuras rerum sensu comprehensarum, ac in mente relictarum, adeoq; intellectum convertebat ad objecta pro arbitrio voluntatis, ex cujus usu facillè accedere poterat abusus, atque inde peccandi occasio.

§. VI. Non itaq; causa lapsus est invariabile DEI decretum, quemadmodum Calvinus statuit lib. 3. Inst. c. 23. sect. 7. ubi ita loquitur: *iterum quærò, unde factum est, ut tot gentes unà cum liberis eorũ infantibus æternæ morti involveret lapsus Adæ absque remedio, nisi, quia DEO ita visum est? Hic obmutescere oportet tam dicaces alioqui linguas. Decretum quidem horribile fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præscriberit DEUS, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideo præscriberit, quia decreto suo sic ordinarat.* Et Beza, parte 2. Resp. ad Acta Colloq. Mompelg.

Momp. 177. *Quod igitur primi Parentes sese nativa illa bonitate privarunt, non potuisse nisi ex DEI sic volentis, & ad hanc mutationem in optimum finem decernentis decreto factum fuisse, dixi & dico.* Cui absoluto, & invariabili decreto opponimus in specie historiam creationis, & lapsus, quæ continet profram hujus articuli sedem. *Ex historia creationis,* Deum nõ absolutè decrevisse lapsum primorum parentũ, neq; illius autorẽ esse, probatur primò hoc argumento: *Qvalem DEUS condidit, talem esse, & perpetuò manere voluit, sed justum, & sanctum condidit: Ergo.* Dein ex interdicto de ligno scientiæ boni, & mali Gen. 2, 17. *Ex historia lapsus,* cujus hæ númerantur causæ, putà Diaboli seductio, Gen. 3, 1. Hominis voluntas, Diaboli suggestionibus assentiens, Gen. 3, 6. quẽ assensum corruptũ secuta est ~~pena~~ *irrogatio.* v. 14. & s: Jam verò DEUS non est illius autor, cujus est ultor, juxta *Fulgentium,* tũ *medicina præparatio,* scil. per mortem Filii. v. 15. *Hoc quoque confirmatur in genere Scriptura dictis.* (a) Excludentibus à DEO tum omnem peccati volitionem Ps. 5 vers. 5. tũ omnem seductionem, seu directam, seu occasionalẽ per objecta, & scandala, Jac. 1, 13. 1. Joh. 2, 16. à *Dei natura,* si enim peccati causa foret, DEUS esse desineret summum bonum, à quo nullum malum in naturam proficiscitur. Concurrit quidem DEUS ad hominis actionem, non autem ad illius *accidens,* vel inordinationem. Neque DEUS primis parentibus abstulit donum, quod acceperant in ipsa creatione, & quo potuerunt non peccare, si voluissent (β) Docentibus, DEUM abominari peccata Deut. 7, 26. Ps. 5, 7. prohibere, Exod. 20. Deud. 5. seridò odisse Ps. 5, v. 6. graviter punire, unde ita inferre licebit: Q. DEUS abominatur, prohibet, seridò odit, graviter punnit, illius non est causa. Atqvi peccata &c. Ergo. *Qvomodo etiam in peccatum primorum parentum morte temporali, & æternâ severè animadvertit. Tantum igitur abest, ut DEUS sit autor peccati, ut etiam per naturam abhorreat ab omni peccato, & sit osor omnis iniquitatis. Neque DEUS causa Physica dici potest, peccatum producendo; Neque causa moralis, indurando, imperando, impellendo, svadendo,*

B

appro

appropinquat. Primus namque homo lapsus est, non necessitate simplici, & absoluta, vel consequentis, & causæ; sed necessitate existentia, vel hypothetica, & consequentia; nam antequam lapsus est, potuit non labi, siquidem ad utrumque labi, & non labi sese habuit indifferenter. Præscivit, ac prævidit quidem DEUS lapsum Adami, sed illa prævisio DEI non est causâ lapsus, quia hæc in se agit, non in alio, est enim actus internus, uti rectè docet *Jacobus Martini Diss. 14. de peccato §. 16.* Deeretur ergo non est causa lapsus, quia hoc est: *vel efficax*, & sic non nisi bonum agit; *vel præcipiens*, atque sic bona tantum præcipit: *vel permittens*, illud autem ideo causa esse nequit, quia non agit, sed alium agere permittit.

§. VI. *Materia ex quâ lapsus hic nulla.* *Materia verò in quâ, vel subiectum lapsus*, quod h. l. maximè attendendū, dicimus, illud non tantum esse actionē illam exteriorem de comedendo fructu vetitæ arboris; sed etiam sub se completi motus interiores in intellectu, & voluntate. *Materia circa quam, vel objectum* lapsus est fructus arboris scientiæ boni, & mali, divino præcepto peculiari prohibitus;

§. VII. *Forma lapsus*, in latiori significatione accepta, est ipsa *negatio*, vel aberratio à lege, quæ multas vitiosas qualitates, & actus, sive gradus sub se comprehendit. Primus gradus hujus peccati fuit dubitatio de veritate prohibitionis divinæ, sicut ex ordine tentationis Diaboli probari potest. Nam Evam initio ad dubitandum de verbo DEI sua ancipiti interrogatione incitavit, Gen. 3, 1. Cui annexi sunt alii actus, ut ingratitude, impietas, contumacia &c. quæ, DEO contempto, Diabolo obtemperavit.

§. VIII. *Finis lapsus, respectu DEI*, ratione permissi-
onis, est bonum, quod DEUS ex eo elicere novit: *respectu Satana*,
ratione seductionis, quia se à DEO primum averterat, est vindicta
adversus creatorem, à quo ad perpetuos, atque æternos cruciatus
damnatus erat: *respectu hominis*, ratione aversionis à DEO
erat, (quemadmodum Satanas hoc illis imaginatus erat) amor
inordinatus majoris excellentiæ, & scientiæ alicujus
divinæ,

divinæ, Gen. 3. 5. Quod probè notandum contra illos, qui
asserunt, DEUM non potuisse misericordiam, & justitiã suam ex-
ercere, nisi homo lapsus fuisset necessariò. Verùm Resp. si hoc ve-
rũ esset, quòd DEUS aliter suam misericordiam, & justitiam non
potuisset manifestare, nisi homo necessariò laboretur; tùm se-
queretur, ipsum non esse omnipotentem: & nullo modo ab
injustitia, & mali causa liberari posse, quod est absurdum, cum
satius fuerit, juxta Chrysof. Hom. 13. in Act. Apostolorum, Sex-
centies defodi, quàm DEUM talia per nos audire.

§. IX. *Effectus, & consequens lapsus (a) respectu primorũ
parentum* sunt divinæ imaginis amissio, totiusq; naturæ corruptio,
omnis generis calamitates, atq; ærumnæ, imò mors ipsa, & ma-
ledictio, in quam suo vitio, sicut in rebellionem inciderunt. (β)
respectu posterorum, est peccati originis in omnes posteros per car-
nalem generationem propagatio, quod peccatum omnia priora
mala secum affert: Quod observandum contra Socinia-
nos, Catech. Rack p. 21. Socinus de Christo Servat. par.
4. c. 6. p. 355. & in prælectionibus Theol. c. 2. p. 8. de statu primi
hominis p. 7. imaginem DEI per lapsum amissam esse negantes:
ut etiam Pontificios, Nam *Bellarmin.* lib. de Gratia primi hominis
cap. 2. Col. 4. Gregorius de Valentia, lib. de peccato orig. cap. 5.
& alii negant, per lapsum Adami imaginem divinam amissam,
& affirmant, eam adhuc in omnibus posteris Adæ superesse,
solum verò similitudinem amissam, contententes. Quòd autem
imago divina sit amissa, probamus (1) ex illa Apostolica asser-
tione, quæ testatur, omnes peccasse, & destitui gloria DEI Rom.
3. 23. (2) Ex peccati originis in omnes homines propagatione,
Rom. 5, 12 Jam verò, quibus intimè inhæret peccatum originale,
in illis imago DEI superesse nõ potest: unum enim alteri opponi-
tur, & per diversas qualitates utrumq; describitur. Imago qui-
dem DEI per justitiam originalem, omniumq; virium naturæ
perfectionem; peccatum autem per carentiam ejusdem, & to-
tius humanæ naturæ corruptionem. (3) Ex Gen. 5, 3 ubi A-
dam post lapsum genuisse dicitur filium ad imaginem (non Dei)
sed suam

ted suam peccato sc. corruptam, quo pertinet illud, quod Paulus
 1. Cor. 15. 49. inquit, Nos non DEI Adami cœlestis, sed imagi-
 nem Adæ terreni à DEO averſi, concreatâ justitiâ, & innocentia
 destituti, gestare. (4) Ex divina imaginis reparatione, Quic-
 quid novâ DEI creatione in nobis restituendum, illud a-
 missum est. Sed imago DEI nova DEI creatione in nobis resti-
 tuenda: Ergo Min. probatur Coloss. 3, 10. Eph. 4, 23. 24. Non
 itaq; imago DEI consistit in ipsâ hominis essentia, sed in acciden-
 tali perfectione, vel justitiâ, & sanctitate originali. Nam
 anima hominis post peccatum cum suis potentiis in eò remanet.
 Contra Socinianos dicimus, totum genus humanum, primo ho-
 mine tanqvã radice lapsa, peccasse; licet *non formaliter*, tamen *ma-
 terialiter*, & imputativè, idq; probamus (1) *Scripturae oraculis*, præ-
 primis Rom. 5, 12. 14. mors per peccatum in omnes transit, in
 Adamo omnes peccaverunt. Eodè cap. v. 19. per unius inobedi-
 entia multi, i. e. omnes constituti peccatores. 1. Cor. 15, 22. In A-
 damo omnes moriuntur. (2) *Ex natura imaginis divine*, quæ sicut
 non erat bonum aliquod personale, quemadmodum Photiniani
 lapsum Adæ merè personalem faciunt, sed commune, ad poste-
 ros propagandum; ita quoque peccatum primorum Parentum
 non erat personale, sed commune, quia nos omnes in ipsis pec-
 cavimus, qui in lumbis eorum existimus. Nam Adamus totum
 genus humanum in se seminaliter continebat, & comminatio ei
 facta, involvebat omnes illius posteros, quia non tantum suo, sed
 & nostro, omniumq; posterorum nomine, peccavit. Ex illo lapsu
 protoplastorum vel peccato primo, oritur peccatum ex pri-
 mo ortum, quod est, vel originale, vel actuale.

Thesis II.

*Peccatum originale est imaginis divine privatio, to-
 tiusq; natura humana intima depravatio, atque corruptio,
 per carnalem generationem in universos homines secundum
 nature ordinem ex Adamo genitos propagatum, nos reos
 constituens æternæ mortis, nisi per Baptismum, & Spiritum
 Sanctum ad vitam æternam fiat remissio.*

ἐκθεσις.

S. I. Priusquam ad hujus definitionis explicationem
 realem accedamus, peccatum consideramus, quoad nomen (a)
ratione Etymologia: Peccatum derivant nonnulli ab Ebr. פָּעַךְ
 pravvaricatus est, violavit foedus, vel pactum, metam, vel lineam
 transgressus est: unde quoque peccare apud Ciceronem in para-
 doxis, paradox. 3. idem est, ac lineas transilire, intra quas nos
 continere debebamus: Alii à pecude, quoniam per peccatum in
 pecuinam quasi indolem degeneramus: Alii deducunt à pellicatu,
 quia peccatū, seu peccatus dicebatur veteribus adulterium, & sic
 peccare idē est, ac adulterium committere, ut testatur Gellius lib. 13.
 Noct. Artic. cap. 19. atque adeo pecco idem, ac cum pellice
 coeo, quæ derivationes omnes peccato ex asse, si ad ratio-
 nis trutinam eas examinemus, quàm maximè conveniunt. Ger-
 manicum verò vocabulum *Sünd* / derivare aliàs solent à
 Græco Σίνω noceo, quia peccator sibi ipsi maximè nocet. Ori-
 ginale autem appellatur, non ab origine mundi, & origine naturæ
 humanæ creatæ, quia tum non fuit in homine; Sed ratione princi-
 pii, quia à primo Parente est, atque in nobis, ut consequens, seu
 effectus peccati primi, estq; fons, & origo omnium peccatorum
 actualium. Et Subjēti, quia peccatum illud in conceptione con-
 trahimus. Dicitur igitur originale, quia non proprio, vel per-
 sonali actu, sed origine, vel generatione illud ex Adamo contra-
 himus. (β) *Ratione Homonymia.* Peccatum originale su-
 mitur dupliciter (1) *active*, pro vitioso actu, quem primus ho-
 mo commisit transgrediendo legem DEI, de non comedendo
 arboris scientiæ boni, & mali, fructu. Et hic in posteros A-
 dami non transit nisi imputativè Rom. 5, v. 14. nemo enim
 nostrum ipso actu personaliter, & formaliter comedit fru-
 ctum prohibitum; imputatur autem nobis peccatum pri-
 mum, quia potentialiter, & repræsentativè fuimus in Adamo
 tanquam capite nostro, nam si nobis, vel Adami posteris non
 imputaretur, non regnasset mors ab Adam usque ad Moysen etiam
 in illos, qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ;
 sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui

non peccarunt &c. Rom. 5, 14. (2) *Passivè* pro vitioso habitu, quem actuali illâ legis transgressione contraxit Adâ, & in posteros propagavit: seu maculâ ex actu illò peccaminoso residuâ, quæ nec protoplastos in hâc vitâ deseruit, & in posteris omnibus manet; neque separatur istius radix à corpore ante ipsius interitum. Præcessit ergo in Adamo peccatum actuale, & secutum est originale; In nobis verò præcedit originale, & sequitur actuale: Illud putâ peccatum primm *Scholastici* appellant originale originans; Hoc sc. peccatum ex primo ortum originale originatum. *Quantumvis* autem terminus peccati originis, in Sacrà Scripturâ totidem Syllabis non exstet; res tamen illo vocabulo expressâ manifestissimè in ea proponitur, coepit iste terminus tempore Augustini, ut ex latibulis melius protraherentur Pelagiani P. O. inficantes. (γ) *ratione synonymia* multa occurrunt in S. Literis peccati originis Synonyma; dicitur enim peccatum inhabitans, & malum adjacens Rom. 7, 17. 21. Corpus peccati, & vetus homo Rom. 6, 6. caro Gal. 5, 17. *ἀναλογία*, & *ἀνομία*. Rom. 6, 19. *μερίμνη*. Rom. 5, 14.

S. 2. Quoad existentiam, vel esse hujus peccati dicimus, quòd revera in homine existat, & detur peccatum originale, & omnes mortales secundum naturam propagati concipiantur, & nascantur cum hoc peccato, contra Socinianos, illud omnino negantes, & pro fabulâ habentes. *Socinus* lib. de Servatore Christo parte I. cap. 6. p. 355. seqq. *Ostorod.* Instit. Germ. cap. 33. p. 267. 271. Nos autem probamus hoc *non solùm scripturæ dictis, sed & rationibus in Scripturâ fundatis.* (1) *Ex scriptura* (α) è conceptione, & nativitate peccaminosâ, ut ex se de hujus doctrinæ patet Psal. 51, 7. *יְהוָה בְּעוֹן חַלְלֵתִי וּבְחַטָּאתַי יִסְתַּחֲרֵנִי*. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, quod, *Arias Montanus* sic vertit: Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me Mater mea: sensus itaq; est: cum conciperer, & formarer in utero Matris, jam eram in peccato sc. constitutus. Huc probè spectant verba *Ambrosii* pauca quidem, sed nervosa admodum: *prius incipit macula, quàm vita*; jam verò quicquid homini inde à nativitate adha-

adhæret, illud maxime originale est. Sed peccatum hominū &c.
 Ergo. Quoniam ab immundis, & peccato contaminatis procrea-
 mur parentibus Job. 14, 4. (β) *Ex naturali hominū ad peccata
 propensione* Gen. 6, 5. omne figmentum cogitationum cordis
 humani tantum malum est כל-היום omni die, & prout habetur
 cap. 8. 21. מן-עריא à pueritia sua. Ubi triplex occurrit univer-
 salitas, quæ h. l. maxime attendenda (a) *universalitas subiecti*,
 in omni homine. (b) *Universalitas actuum*, omne figmen-
 tum cogitationū (c) *universalitas temporis*, omni tempore.
 Conf. cum hisce Psal. 14, 2. 3. Rom. 3, 10. (2) *Ex ratione*, quia aliàs
 nullus usus Sacramentorum, circumcisionis, & baptismi, nulla
 necessitas regenerationis, nullus finis passionis, & mortis Christi,
 nulla causa calamitatum, nulla causa mortis foret. Falsa igitur
 est etiam Anabaptistarum hypothesi, peccatum orig. per Christi
 mortem planè sublatum esse, ex natura humana, ita ut infantes
 sub N. T. non nascantur in peccatis, sed sint prorsus innocentes,
 & à vitio immunes, nec indigeant in infantia Baptismatis lavacro,
 hoc potissimum nisi argumento: Infantes pronunciantur innocen-
 tes, Ion. 4, 11. Psal. 106, 38. & sancti 1. Cor. 7, 14. Rom. 11, 16. Ad Re-
 spondemus, dicta illa non *absolutè*; sed *comparatè* esse intelli-
 genda: innocentes dicuntur, non absolutè, sed comparatè in ju-
 dicio sc. hominum, & respectu actualium proæreticorum pec-
 catorum: Sancti dicuntur, non ob sanctitatem quandam
 internam, quasi sint sancti sanctitate fæderali ab utero matris,
 quemadmodum Calvinus lib. 4. instit. c. 16. num. 24. affirmat, sic
 enim illè: *Infantes hereditario jure secundum promissionis
 formulam jam à matris utero in fædere continentur. Pe-
 trus, Martyr: in LL. C. C. Beza Volum. 1. controv. fol. 256.
 Ursinus Volum. 1. oper. Theolog. fol. 610.* Sed sanctitate externâ
 I. Ecclesiasticâ, quam habent præ ceteris Gentibus. Reatus qui-
 dem, & dominium peccati Orig: tollitur per Sacramentum cir-
 cumcisionis, & baptismi, atq; per renovationem Spiritus San-
 cti; Radix interim, & fomes in carne renatorum manet, unde e-
 tiam peccatum originale ab omnibus renatis in posteros pro-
 pagatur. Hinc rectè August: *peccatum in baptismo remittitur,
 non ut non sit, sed ut non obsit, vel non imputetur.*

§. 3. Generis loco in thei posuimus justitiæ originalis privationem, totiusq; naturæ corruptionem, ac depravationem: ubi in peccato originali indigitatur non saltem nuda privatio rectitudinis in esse debita, seu defectus justitiæ concreata; sed & positio consistens in illegalitate, vel prava concupiscentia. Formale itaq; peccati originalis complectitur (α) *σθένει* s. carentiam justitiæ originalis inesse debita. (β) *θέσις* s. positionem pravae concupiscentiæ, vel habitus, sive vitiosæ qualitatis. Nam Ecclesiæ nostræ magno consensu docent in Articulo II. Aug. Confess. *Quod post lapsum Ada omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato b. e. sine metu DEI, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, quodq; hic morbus, seu vitium originis verè sit peccatum, damnans, & afferens nunc quoq; eternam mortem, his, qui non renascuntur per Baptismum, & Spiritum Sanctum.* Et in Solida Declaratione F. C. Artic. I. de Peccato Originis p. 640. *Quod peccatum originale in humana natura non tantummodò sit ejusmodi totalis carentia, seu defectus omnium bonorum in rebus Spiritualibus, ad Deum pertinentibus: Sed quòd sit etiam loco imaginis Dei amissa in homine, intima, pessima, profundissima, (instar cujusdam abyssi) inscrutabilis, & ineffabilis corruptio totius naturæ, & omnium virium, imprimis verò superiorum, & principalium animæ facultatum, in mente, intellectu, corde, & voluntate. Itaq; jam post lapsum homo hereditariò à parentibus accipit congenitam pravam vim, internam immunditiam cordis, pravas concupiscentias, & pravas inclinationes: ita, ut omnes naturæ, talia corda, tales, sensus, & cogitationes ab Adamo, hereditaria, & naturali propagatione consequamur, quæ secundum summas suas vires, & juxta lumen rationis naturaliter e diametro cum Deo, & summis ipsius mandatis pugnent, atq; inimicitia sint adversus Deum, præsertim quantum ad res divinas, & spirituales attinet. Notandum au-*

dum autem per vocem corruptionis hic non intelligi *corruptionem physicam* s. essentialem, quæ omnimodam rei destructionem importat, uti fieri solet in motu ab esse ad non esse, quæ physica corruptio obigit uxori Lothi in statuam salis conversæ, ratione substantiæ corporeæ, animâ verò per momentaneam mortem, è corpore evocatâ, talem essentialem mutationem s. corruptionem hominibus ex lapsu obtingisse nemo orthodoxorum fatebitur: *Sed corruptionem Accidentalem*, quatenus, manente substantia, homo corruptus est ratione justitiæ originalis; unde substantia secundum quid corrumpi, aut mutari dicitur, & hæc corruptio accidentalis homini, ex lapsu Protoplastorum, obigit. Nam intellectus est corruptus ignorantia, & cæcitate, quæ post lapsum inest omnium menti, non per modum mere negationis, sed pravæ dispositionis, & hominem reddit miserum, Eph. 4, v. 18. Voluntas est depravata malitiâ, & proclivitate ad eligendum, & committendum malum morale, Rom. 3, v. 12. cap 7, v. 19. & s. Appetitus concupiscibilis est corruptus pravitate, quâ movetur contra rectam rationem & legem Dei. Appetitus irascibilis depravatus est *atrocitas*, vel pravitate, quâ sese habet inordinatè in bonis, vel malis arduis prosequendis, vel fugiendis, sicut testantur in homine cupiditas gloriæ, & vindictæ, desperatio &c. Nam cogitationes cordis hominum tantum, sunt malæ omni tempore, Gen. 3, 5. Corpus est depravatum variis morborum speciebus, ipsiq; morti naturali per lapsum homo obnoxius factus est. Quamobrem imagini Dei succedit imago Diaboli, sapientiæ concreatæ ignorantia, & cæcitas: justitiæ, & sanctitati originali malitiæ, & injustitiæ: paradiso exitium: dominio creaturarum, ipsarum rebellio: corpori sano multa morborum genera, & tandem mors corporis: vitæ beatæ æterna damnatio. Est igitur peccatum originale non mera privatio; sed etiam vitiosa qualitas, quod probamus *ex scriptura*, quæ peccatum describit non tantum *privativè* s. ratione privationis imaginis divinæ, 1. Cor. 2, 14. Eph. 4, 18. 2. Thess. 1, 8, Rom. 3, 10, 11, 12, 19. Rom. 7, 18. Psal. 14, 2, 3. Sed etiam *positivè* s. ratione habitus connati. Rectissime igitur in libris nostrarum Ecclesiarum

C

Symbe

Symbolicis describitur peccatum originale (α) *privativè*, per defectum potentiae timendi Deum, & credendi in Deum (β) *positivè*, per concupiscentiam, vel habitum vitiosum, nam defectus virium, vel *ἀδυναμία* timendi Deum, & concupiscentia habitualiter inhærens, sicut Apolog. docet, verè sunt peccatum orig. Idem docetur in Epit. F. C. strictè dicta, p. 573. & in Solida Declar. p. 640.

§. 4. Circa hanc quaestionem, quæ agit de natura peccati originis, inter charybdim, & scyllam nobis mediâ est incedendum viâ. Nam quidam hic in excessu, quidam in defectu peccant: In excessu *Flaciani* à Matthiâ Flacio nomen gerentes. Hic fuit Theologus celebris, ac cæteroquin orthodoxus, Professor initio Witteberg: deind Jenensis, & clarus ob clavem Scripturæ, in qua part. 2. Tract. 6. p. 493. statuit, peccatū originale esse ipsam hominis substantiam, Quem errorem Discipuli ejus ex cœco in Præceptorem amore, ipso Flacio vehementius defendere cœperunt. Occasio hujus erroris erat disputatio Vinarientis *Flacy* cum *Victorino Strigelio* Synergista, ubi Flacius in fere vore minus consideratè affirmare non dubitavit, peccatum originale esse ipsam hominis substantiam, & non distinxit inter corruptionem physicam, seu essentialem, & Logicam, quæ fit per actum intellectus, vel accidentalem. Vid. §. præcedens. Describitur quidem peccatum originale verbis substantialibus in scriptura, sed tropicè, & tùm consideratur in concreto s. ratione sui subjecti, cui intimè inhæret: Si verò in abstracto, & formaliter, propriè, & in sua natura; verbis Accidentalibus, vitiosam qualitatē denotantibus, effertur. Sed nos opponimus iis expressa Scripturæ dicta, in quibus peccatum originale ab essentia hominis distinguitur, & dicitur malum adjacens, inhiabitans, Rom. 7, 17. 21. tenaciter in hærens Ebr. 12, 1. *ἀγκυρωθῆς* Rom. 6, 19. Præterea pugnat etiam hoc assertum cum Articulo Creationis, Incarnationis, Redemptionis, Sanctificationis, Resurrectionis, prout illud ipsum ostenditur in F. C. strictè dicta Artic. 1. de peccato originali p. 572. & in Solida decl. p. 645. seqq. ubi multis argumens

gumentis probatur, peccatum originale
pti substantiam. Quibus quinque argumentis in F. C. expressis,
adjicimus sextum, ab opposito, quia imago Dei in homine inte-
gro non fuit substantia: Imo & hâc ratione, dum peccatum ori-
ginale dicitur esse substantia, Deus, qui omnis substantiæ causa, &
principium est, absurdè constituitur illius causa. Quo ipso Man-
nichæismus ex parte restauratus est, de quò August. Hæres. 46.
Plura de his videri poterunt apud B. Gerhardum Tom. 2. LL.
CC. de peccato originali *Meiss.* Antropol. Decad. 1. Disp.
6. quæst. 1. *Jacobum Martini* partitionibus Theol. Disp. 10. §.
28, seqq. In defectu peccant *Scholastici*, & *Pontif.* pleriq;
paucis saltem exceptis, ut *Lombardus*, *Thomas*, *Bonaventura*,
Hugo, *Salij Scholastici*, quos Apolog. A. C. p. 55. pro suâ sen-
tentia allegat. Augustinus autem, quem Scholastici pro
suâ sententiâ allegant, impertinenter citatur, nam eadem est sen-
tentia definitionis Augustini, & Apol. A. C. p. 54. Augustinus en-
nim peccatum originale definit per concupiscentiam, significat
enim concupiscentiam successisse, amissâ justitiâ: Thomam verò,
& alios *Belhar.* refutare studet lib. 5. de Amiss. gratiæ, & Statu pec-
cati, c. 15. *Becanus* in Theol. Schol. Tract. 1. c. 5. quæst. 1. *Tanne-
rui*, q. 18. dub. 2. statuentes, peccatum esse ens merè privati-
vum, atq; aded peccatum orig. unicè in privatione consistere,
nec esse vitiosam qualitatem, quemadmodum nos dicimus: Sed
Resp. per vitiosam illâ qualitatem nos non intelligere Accidens
quoddam naturam hominis perficiens; Sed accidens, quod per
unius hominis *negativum* in mundum introiit, atq; omni ho-
mini naturaliter ab Adamo descendenti, per modum vitiosi in-
nati habitus inhæret, ejusq; naturam extremè depravat, atq;
corrumpit. Nam per hunc innatum, & vitiosum habitum, ho-
mo propensus est, & fertur ad ea, quæ lege DEI prohibita sunt.
Positivum autem ens non est physicè, neq; metaphysicè, prout
ens convertitur cum bono; sed Ethicè, Logicè, & affirmativè.
Nam hæc propositio affirmativa est vera: Peccatum Originale
est vitiosus, & innatus habitus, qui post lapsum ab homine cor-
rupto non potest seperari, nisi per actum intellectus.

C 2

§. 5. Cap.

...*quidem remota peccati orig.*
sunt Protoplasti, Gen. 5, 3. Rom. 5, 12. *propinqua*; Parentes nostri
peccatum orig. per carnalem generationem in nos propagantes
Psal. 51, 6. Eph. 2, 3. Proinde hic maximè errant (1) *Pelagiani*; ex-
emplo tantùm, vel imitatione; non autè carnali generatione pec-
catum Adami posteris nocuisse, cotendentes. Vid. Chemnit. part.
1. exam. Conc. Trid. de peccato Orig. Meisneri Antropol. Sacra
Decad. 1. Disp. V. q. 2. Nam longè aliter Apostolus Paulus docet
Rom 5, 12. ubi dicit: peccatum in mundū introiisse, sicut mors in
mundū introiit. Si igitur postlapsum homo mortalis factus per
peccatum orig: generat hominem mortalem, sequitur, peccatū
orig. in mundum introiisse non per imitationem, sed per carna-
lem generationem, quare Eph. 2, 3. dicimur filii iræ, non imita-
tione, sed naturâ. (2) *Albertus Pigbius, Ambrosius Cathari-
nus, & Author System. Theol. de Præ Adam. hypothese*, qui statu-
unt, quòd peccatum originale consistat in transgressione Adami,
ejusq; imputatione, dum nullum aliud peccatū orig: agnoscunt,
quàm peccatum primum Adami, ejus posteris ad reatum impu-
tatum. Quo ipso confundunt peccatum primum cum pecca-
to ex primo orto; nam hoc peccatum nostrum est *Subjecti-
vè, vel inherenter*, est enim habitus vitiosus, & permanens in
nobis: Adami autem transgressio non est habitus vitiosus per-
manens, sed actus transiens. Neque ad posteros per genera-
tionem transiunt omnia peccata, sed tantùm peccatum ex primo
ortum, vel peccatum originale. Nam judicium quidem ex uno
delicto ad condemnationem, donum autem per gratiam ex mul-
tis, id est, omnibus delictis est ad justificationem, Rom. 5, 16. Ubi
Apostolus docet, quod unum quidem peccatum sc. originale,
universæ posteritati attulerit condemnationem: Donum autem
per gratiam, id est meritum Christi, non tantùm liberet ab illo
uno peccato; sed etiam ab actualibus, vel omnibus aliis peccatis,
multoq; potentius, vel efficacius sit peccato. *Intelligamus A-
postolum, ait Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 12.*
*Et videamus ideo dictum judicium ex uno delicto in condem-
nationem*

nationem, etiam si non esset in dominum, in p
ginale.

S. 6. *Materia circa quam, seu objectum peccati originalis, est lex non concupisces, Rom. 7, 7. & consequenter tota lex, Jacobi 2, v. 10. quam inobedientiâ erga DEUM transgressus est homo, non solum, quia peccatum orig: est privatio iustitiæ in lege præscriptæ, sed etiam, quia est prava inclinatio ad omnia, quæ lege DEI prohibita sunt. Falsum igitur est, quod Bell. scribit, lib 5. de amissione gratiæ &c. c. 14. Col. 431. Legge, non concupisces, propriè non prohiberi, nisi desideria voluntaria, quæ sunt actualia peccata. *Materia verò in quâ, seu subjectū est duplex: vel inhætionis, vel denominationis. Subjectū inhætionis* Peccati origin. est totus homo, animâ, & corpore constans cū omnibus ejus facultatibus, & omnibus corporis membris: quod probamus ex Job. 14. 4. ubi totum subjectum, totus homo dicitur immundus, & in peccatis conceptus, Pl. 51. vers. 17. quod peccatum undiq; omnes vires, membra, & totum hominem occupat, ut reddit Magnus ille *Chemnitius* L. de peccato origin. ubi plura videre licet. *Subjectum verò denominationis, vel prædicationis* peccati origin. est totum genus humanum, & omnes Adami posterii per carnalem generationem ab ipso descendentes, à quâ universalitate, juxta effatum Pauli Rom. 3, 9. 11. 23. cap. 5, 12. 14. nemo excipitur nisi Christus Ebr. 7, 26. quia non de femine viri, & cum inordinata concupiscentiâ; sed de Spiritu S. conceptus atque natus est, ut Angelus Matth. 1, 20 & Luc. 1, 35. testatur. Hinc errant gravissimè Pontificii, qui Mariam B. ex censu originali peccato contaminatorum eximunt. *Bellar.* lib. 4. de Amis. gratiæ cap. 15. *Becanus* parte 2. Theol. Schol. Tom. 1. Tract. 2. c. 9. quæst. 10. Quemadmodum de hac quæstione maxima inter ipsos Franciscanos, & Dominicanos eo tempore erat controversia, quæ adhuc hodie ab ipsis Dominicaniis privatim forsitan si non apertè, & publicè defenditur; Licet *Gregorius XV. Papa* ipsemet Franciscanus, & Concilium Basileense pro Franciscanis causam dixerit. Cui nos opponimus. (1) *Generale scripturæ assertum, Rom. 5, 12. ubi latitudo hujus peccati describitur**

... , vocabulo mundi, partim distributi-
vè, per omnes homines morti obnoxios, ne infantibus quidem,
exceptis, quia morti sunt obnoxii, ubi autem mors tanquam
effectus peccati dominatur, ibi etiam peccatum ipsum tanquam
causa efficiens mortis locum habet. Quia igitur lex Subjectum P.
O. non limitat: nec illud nos restringere debemus (2) *Maria
conditionem*, quæ & peccatorum remissionem petiit, Act. 1,
v. 14. adeoque opus habuit cum omnibus sanctis à Deo pe-
tere remissionem peccatorum, Ps. 32, Christum Salvatorem
suum agnovit, Luc. 1, 47. in eum credidit, vers. 45. nec pec-
catis actualibus caruit, ut negligentiam Luc. 2, 42. &c. importuni-
tate, & imprudentia, Joh. 2, 4. quæ omnia de peccato O. tanquam
illorum causa testantur. Quare *Augustinus* in libro de fide ad
Petrum Tom. 3. cap. 26. *Firmissime tene, & nullatenus dubi-
tes, omnem hominem, qui per concubitus viri & mulieris
concipitur, cum peccato originali nasci.* Et in libro de per-
fectione justitiae: *Quisquis, esse vel fuisse in hac vita aliquem
hominem, vel aliquos homines, putat, excepto uno media-
tore Dei, & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio
peccatorum contrarius est divina scriptura, ubi Apostolus ait,
per unum hominem peccatum in mundum intravit.* Et
egregie hæc de re *Anselmus* Archiepiscopus Cantuariensis, Chri-
stum quidem à peccato originali fuisse immunem, docet, sed
Mariam non tantum in eo conceptam; sed & natam, scribit: sic
enim loquitur de Christo lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. *Na-
tura tota, quæ erat in parentibus primis, tota in illis victa
est, ut peccaret, excepto illo solo homine, quem Deus, sicut
sine virilisemine de virgine facere scivit, sic à peccato Ada
secernere voluit.* De B. autem Maria lib. 2. Cur Deus Homo
sit, cap. 16. sic scribit: *Licet ipsa hominis ejusdem conceptio sit
munda, & absq; carnalis delectationis peccato; virgo tamen
ipsa, unde assumptus Christus, est in iniquitatibus concepta,
& in peccatis concepit eam mater ejus, & Originali peccato na-
ta est: quia & ipsa in Adamo peccavit: Quin imò cum Maria
propter*

propter peccatâ sua Redemptore indiguerit, labem quoque gestavit originalem.

S. 7. *Formale peccati originalis*: in latiori significatione est duplex: *constituens, vel absolutum, & consequens s. relativum*. Illud est deformitas, & depravatio, quâ totus homo ita est depravatus, ut in eo duntaxat imaginis divinæ reliquæ, vel rudera permanserint, quæ deformitas, vel ἀργαλοία ad eod. suo subjecto inhæret, ut nomen habitus innati, & inseparabilis sibi attrahat. Hoc est reatus, vel obligatio ad poenam, vel æternam damnationem, ut Paulus illud exprimit Rom. 5, 12. Eph. 2, 3. Circa formale peccati hîc notandum: An voluntarium sit de ratione, & essentia peccati; vel, An omne peccatum sit voluntarium, quod Pontif. unâ cum Photin. affirmant; nos verò negamus, quia (1) peccatum per solam ἀνομίαν describitur, 1. Joh. 3. 4. (2) voluntarium esse non convenit omni peccato propriè dicto; nam quædam peccata committuntur ex ignorantia, & infirmitate, Lev. 4, 2. Rom. 7, 7. seqq. (3) non convenit peccato O. quod ante rationis usum in nos prorsus inscios transmittitur. Voluntarium quidē dicitur peccatum originale, (α) *Antecedenter*, omnes enim censetur voluisse corruptionem illam nativam, vel hæreditariam, omnes enim in Adamo peccavimus Rom. 5, 12. (β) *Subjectivè*, quia in voluntate est, eamq; depravat. (γ) *Consequenter*, quia peccato originali obsequimur; non autem *Formaliter* dicitur voluntarium

S. 8. *Finis peccati Orig.* in propria significatione non datur. Si autem quæritur: Cur Deus permiserit, corruptione naturæ ab Adamo in posteros propagari? Resp. hîc agnoscenda est Dei cûm immota veritas, & justû ejus judicium: (Prædixerat ei Deus, fore, ut quâ die mandatum div. transgrediretur, morte moreretur, cujus rei veritatem eventus dein comprobavit;) tûm immensa Dei bonitas, qui eam ab eadem causam hominem lapsum non in nihilum redegit, neq; cum æternis cruciatibus adjudicavit; sed totius humani generis misertus, Christum proposuit, ut esset placamen perfidem in sanguine illius ad declarandam justitiam suam, Rom. 3, 25.

S. 9. *Effe*

S. 9. *Effectus peccati orig.* est mors, quia per peccatū mors in mundum introiit Rom. 5, 12. ubi nomine mortis intelligitur (α) mors corporis, ad quam pertinent omnis generis calamitates, dolores, vitæ incommoda, morbi, & similia: quicquid enim homines patiuntur mali in hac vitâ, per se, & ex rei natura pertinet ad peccati effectum, vel pœnam. Fidelium autem afflictiones, etsi in se sunt fructus, & effectus peccati, tamen per accidens in illis non sunt pœnæ ab irato DEO propter peccata inflictæ, sed sunt probationes, & castigationes paternæ, & medicinales ad ipsorum correctionem ordinatæ. (β) mors spiritalis, quâ homo alienatus est à vita Dei, & caret vitâ gratiæ Eph. 4, 18. (γ) mors æterna, nam iudicium ex uno delicto sc. originali ad condemnationem Rom. 5, 16. Gravissimum igitur esse illud malum orig. colligi licet ex effectis, quod omnia peccata actualia, tam interiora, quâ exteriora progignat, quodq; adferat maximum malum, nos excludat è regno coelorum, privetq; æternâ, ac beatificâ Dei visione, nisi per Baptismum, & Spiritum S. regeneremur: Quod hoc loco probè tenendum, præsertim ob Pontific. Photin. & Pelagianos. Nam Pontificii concupiscentiam in renatis verè, ac propriè non esse peccatum, sed tantum metonymicè, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, & peccatum formaliter consideratum per regenerationem in renatis extingvi, *Concil. Trid. Sess. 5. Decret. 5. Bellar.* de Amis. gratiæ lib. 5. c. 7. & lib. 1. de Baptis. c. 13. ut & alii ex Pontificiis, nec hoc frustra, sed, ut fraudem manifestat *Chevnitius Part. 1. Exam. Concil. Trid. p. 94.* quia inde pendet ipsorum meritum, perfectio, iustitia, & supererogatio B. O. coram Iudicio Dei. *Pelagiani autem, & Photiniani,* sicut peccatum originale negant, ita quoq; illius effectum: vid. *Socin.* in prælect. Theol. c. 4, p. 11. Sed probamus affirmativam ex Rom. 7, ubi propria sedes est hujus doctrinæ, ibi enim concupiscentiâ, prout in renatis reliqua est, ab Apostolo multoties vocatur peccatum v. 5. 7. 8. 9. 11. 13. 14. 17. 20. 21. 23. 25. idq; non per metonymiam, quod ex peccato sit, vel peccatum efficiat, & causetur: sed

tur: Sed propriè & formaliter, tùm quia nulla necessitas nos cogit, ut à propria vocabuli significatione recedamus: tùm quia hic est sedes hujus Articuli: tùm denique quia appellatur malum sc. morale vers. 15. ideoq; morte dignum. Ipsa quoque definitio peccati, quod sit aberratio à lege Dei 1. Joh. 3, 4. reclamatur: Nam Paulus concupiscentiam vel habitua-lem inclinationem, quam ex lege cognovit in statu renovationis constitutus, vocat peccatum inhabitans, peccatum adhaerens, Rom. 7, 7. seqq. Quod autem non ita est accipiendum, quasi sola illa habitualis inclinatio, quæ involuntate, & appetitu est, totam naturam peccati orig. exhauriat, & pronitas illa ad falsum, & cæcitas intellectus, aliæq; infirmitates mentis ad peccati orig. rationem non pertineant. Si verò peccatum illud per Baptismum, vel in Baptismo tolleretur, illud in renato non habitaret; sed hominis natura prorsus esset nova, tota spiritualis, & impeccabilis, quod tamen est contra ipsum Bellar. lib. 1. de Bapt. cap. 24. Baptismum non facere homines impeccabiles. Distinguendum autem h. l. inter ipsum peccatum, & reatum peccati: *Formale peccati relatum, vel consequens*, quod est reatus, seu obligatio ad pœnam, & æternam damnationem, tollitur per baptismum; *non autem formale absolutum*, seu constituens peccatum, quod est *atropia*, & illegalitas, & sic concupiscentia, quæ verè peccatum est, non tollitur, sed remanet, etiam post baptismum, illius autem regimen, vel dominium infringitur: unde benè August. *Quamdiu vivis necesse peccatum esse in membris tuis; saltem regnum ipsi auferatur: Tollitur, ut non sit, ut idem August. sed ut non obsit, non imputetur*, id est, *ut æternam damnationem non inducat*. Nam lib. 1. de nuptiis, cap. 25. dimittit, ait, *concupiscentiam in baptismo nostro, non ut non sit, sed, ut non in peccatum imputetur: & lib. 6. contra Julianum cap. 3. & 8. transire reatu, & manere actu*. Reatus autem tollitur non à concupiscentia, sed à persona, quæ est in Christo Jesu, ut propter adhaerentem concupiscentiam, homo in judicio divino non condemnetur, Rom. 8, 1. Ubi Apostolus non docet, quòd in justificatis nihil sit naturæ, suæ damnabile, quod ex ri-

D

gore

gore legis non mereatur damnationem in iudicio DEI; sed quòd iustificati nulli damnationi subjecti sint in iudicio divino; quia per Christum, cui sunt insiti per fidem, ab illà sunt liberati. Nam *è devinencia* non denotat absentiam culpæ damnabilis; sed negationem obligationis ad pœnam. Reatus itaq; peccati orig. tollitur in regeneratione, dominium in renovatione; sensus in morte: radix in ipsa corporis in terram conversione, de impiis verò vel illis, qui Christo non sunt insiti, hic non est quæstio. Quapropter ob peccatum orig. & concupiscentiam, quæ in adultis post baptismum manet, & nunquam est otiosa, à nobis requiritur pœnitentia quotidiana, juxta exempla omnium Sanctorum, vel verè renatorum, qui non tantùm actualia peccata; sed & originalis morbi maculas vehementissimè deplorarunt, Psal. 19. 13. Psal. 51. 7. Rom. 7. vers. 24. ubi Ap. propter peccatum inhabitans, miserimè exclamat: Miser ego homo quis me liberabit ex corpore mortis hujus? & v. 14. ego a. carnalis Sum.

Thesis III.

Peccatum Actuale est omnis actio, sive interior, sive exterior, à carne profecta, pugnans cum lege DEI, quâ malum committitur, & bonum omittitur, annexum habens reatum pœnarum, tum temporalium, tum æternarum.

ἐπιθεσις.

§. I. Peccatum Actuale dicitur ab actu, vel agendo, quemadmodum enim ex habitu actiones oriuntur, ex scaturigine rivi promanant, ex radice arboris fructus progerminant: Ita ex peccato originali tanquã habitu vitioso actiones pravæ proficiuntur. Originale peccatum est instar radicis, & arboris, & se habet instar causæ: Actuale est instar fructus vitiosi, atq; effectus. Ipse actus verò non tantùm dicitur de externis operibus, sed etiam de interioribus cogitationibus; imò tam latè patet, ut ambitu suo comprehendat etiam peccata omissionis. Actuale dicitur, non quòd in perenni, perpetuoq; motu, & actu sit, nobisq; semper adhæreat.

adhæreat, nec unquã in hãc vitã transeat: Sed quia actu, vel actio-
ne pravã committitur. Dari autem peccatum actuale ab ori-
ginali distinctum, probatur *primariò è scripturã*, quã partim di-
stinguit inter arborem malam, & fructus malos, Matth. 7, 17. Luc.
6, 43. h. e. causam intrinsicam, & originalem; & inter actiones
independentes Marc. 7, 21. inter peccatum inhabitans, & ope-
rans, Rom. 7, 21, partim utitur vocabulis actiones denotantibus,
ut sunt: ἐγγύς ἐσθαι, Jac. 2, 9. Matth. 7, 23. μισῆναι, Joh. 8, 34. & 44.
1. Cor. 6, 18. Eph. 2, 3. *Secundariò ex experienciã*, quã, actualia pec-
cata contra primam, & secundam Tabulam legis divinã commis-
sa, clarè demonstrat.

§. II. *Causa efficiens* peccati actualis est, vel *intrinsicã*, vel
extrinsicã. *Intrinsicã* est caro, per lapsum Adami tota corrupta.
Hęc complectitur summam inordinationem affectuum cordis,
appetitus sensitivi, pravam concupiscentiam, vel habitum vitio-
sum, ex quò tanquam venenato fonte, omnis generis peccata a-
ctualia scaturiunt Jer. 6, 7. *Extrinsicã* est, vel per se, vel per acci-
dens, *Per se* est Satanas suis suggestionibus; mundus seductio-
nibus: *Per Accidens*, mundi scandala. DEUS verò inter peccati
causas, neque ex parte, neque ex toto, neque directè, neque indi-
rectè, neq; per se, neque per accidens connumerari debet, quip-
pe, qui peccatum prohibet, seridè odit, graviter punit; DEUM
autem vocari causam per Accidens peccati, non congruit sanis
loqvendi modis, in Ecclesia receptis: Aut enim causa per Acci-
dens talis est, vel ratione causæ, vel ratione effectus; sed neutro
modo DEUS dici potest causa per Accidens: non ratione cau-
sæ, destrueretur enim hoc modo DEI absolutissima simpli-
citas, quã nullam, compositionem admittit; Causa autem,
per Accidens ex parte causæ dicitur Ens per Accidens, & sic Ac-
cidentalẽ quãdam Entis compositionem admittit: Non ra-
tione effectus, tolleretur enim sic DEI perfectio, & omniscientia;
causa enim per Accidens, ratione effectus est, quã propter inten-
tionẽ, aut per ignorantiam, & incogitantia producit effectũ, quo-
rum neutrum DEO sanctissimo competit, proinde peccati causa
per Accidens dici nequit. Plura hujus, qui desiderat adeat *D. Hoje in*
D 2 triumph.

Triumph. Calvin. *Affelmannum* in Disput. de causa peccati, & *Calovium* in Harmonia Calixtino-Calviniana cap. 7. de causa peccati: & in Solida discussione Scand: Tract: de DEO, & causa peccati per Accidens.

§. III. *Materia peccati actualis* alia est remota, alia proxima. *Remota materia, vel subjectum, in quo peccati actualis est*, tùm anima cum ejusdem potentiis superioribus, mente & voluntate, unde quædam peccata actualia vocantur interna, ut sunt: errores, & dubitationes intellectus de DEO, Christo, vel Evangelio, &c. primi concupiscentiæ pravæ motus inordinati involuntate, & affectibus: tùm corpus, unde peccata membrorum externè perpetrata, peccata appellantur externa, quia dictis, & factis foris ostenduntur, & externè committuntur. *Proxima* autem materia, vel subjectum in quo, est actio physicè bona, cui adhæret deformitas, vel vitiositas legi divinæ adversans. Quare in peccato duo concurrunt, ipsa actio, quæ bona, & *atæzia*, vel actionis inordinatio, quæ mala: ipsa actio per se rationem boni habet, quoniam à natura proficiscitur, quatenus verò ab illa *atæzia* limitatur, mali rationem induit, non Physicè, sed Ethicè. *Materia circa quam, vel objectum*, in quod peccatum actuale committitur, est vel DEUS, vel proximus, vel nostra persona. Neque peccatum actuale tantùm in adultos; sed etiam in infantes, usu rationis adhuc destitutos cadit, & ab illis committitur, quod notandum contra *Pontificios, & Calvin.* infantibus omne peccatum actuale, etiam omissionis derogantes, *Bellar.* lib. 5. de Amis. gratiæ & statu peccati c. 4. *Francisc. Junius* apud Hutterum in *Irenico*, cap. 28, art. 9, & *Alii*, qui infantes statim post natiuitatem, & ante usum rationis habere peccata actualia, negant. Probat a. infantes actualiter peccare, tùm committendo id, quod lege divinâ est prohibitum; tùm omittendo, quod præceptum, sine proæresi, ex Gen. 6, 5. c. 8, 21. quæ dicta, cum etiam Adversarii de peccato actuali intelligant, operosa probatione non egent, dummodo ipsum peccatum originale tanquam fons peccatorum

eorum actualium.
 tum, & cogitationes tantum malæ omni tempore. Hinc ar-
 gumentum: Quorum figmentum, & cogitatio mala est, il-
 li peccata actualia committunt. Atqui infantum. Ergo. Min.
 prob. ex locis paulò ante citatis; Deinde probatur illud
 ex natura peccati origin. quod nunquam est otiosum,
 sed semper operosum. Unde *B. Lutherus* in Assert. Art. 3.
 contra Leonem Papam, *Impossibile est, (inquit) ut fomes sit*
 absque actuali peccato: Idem docet *Philippus Melancthon*
 in L. C. & *Chemnitz.* in Locos Philippi. Habebit igitur se pecca-
 tum orig. instar causæ in perpetuo motu constitutæ, cujus effe-
 ctus sunt peccata actualia. In quibus igitur peccatum orig. lo-
 cum habet, in illis quoque peccata actualia, etiamsi non
 sunt proæretica, locum habebunt; Sed in infantibus Ergo.
 Quando autem Sancti Patres negant, in infantes cadere peccata
 actualia, de peccatis proæreticis loquuntur. Plura qui deside-
 rat, Conf. *Feeuborn.* in operibus Theol. Fasc. 2. controv. Disput. 4.
 p. 211. seqq. & *Meisner.* peculiari Disput. de hac quæstione habita.

§. IV. *Forma peccati Actualis* consistit in absentia re-
 titudinis, quæ juxta legem divinam, actionibus cum internis
 tum externis inesse debebat. Peccatum igitur orig. ordine na-
 turæ prius est peccato actuali, quia est fons peccatorum actualiū.
 Hoc verò notandum, quòd in peccato originali, & materiale,
 naturæ corruptio, & formale, reatus maneat; In actuali verò
 solum formale, id est reatus maneat, materiale verò, hoc est, actio
 transeat, quemadmodum videre est in Davide, cum ille adulte-
 rium, & homicidium commisisset, actiones, confectæ re transe-
 runt, verum reatus, & labor manserunt, donec peccatum ipsi
 est remissum; tum absolutus est à reatu personæ, & non amplius
 fuit sub legis maledictione.

§. V. *Finis peccati actualis*, quatenus peccatum est,
 nullus datur, quoniam ille, qui peccat, à regula, & norma legis di-
 vine, & recto actionum tramite deflectit: atque eò modo intel-
 ligendum esse patrem Hipponensem *Augustinum*, quem Theol. r.
 §. 3. allegavimus, diximus: Mali causam non tam efficientem,
 quam

de Divin. Nomin: *Malum carere, tum essentiâ, tum fine, tum efficiente.* *Finis tamen in latiori significatione datur triplex respectu intentionis* (α) *ratione Diaboli impellentis, ut multos habeat damnationis socios.* (β) *Hominis peccantis, est bonum apparens, quod assequi falsò arbitratur* (γ) *DEI permittentis, est majoris boni consecutio, DEUS enim adedò bonus, ut nihil mali permittat, nisi ex quò bonum elicere norit, ut loquitur August. lib. 22. contra Faustum c. 84.*

§. VI. *Effectus actualium peccatorum sunt vel Proprii, & intrinseci; ut animæ labes, & vitiosi habitus ad peccata alia inclinantes; vel habitus malitiæ, qui frequentatione actuum vitiosorum acquiruntur, & faciunt peccati originis servos, Joh. 8, 34. atque homines induratos, Ebr. 6. 6, &c. Ezech. 24. 11. &c. Nam ex voluntate prava, ait Augustinus, fit libido; dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Quæ successiva, & habitualis malitia describitur, Rom. 1, 22. Ut & reatus, & obligatio ad pœnam, non solum temporalem, sed & æternam; Gal. 3, 20. Vid. Thesis 2. §. 9. *extrinsecus, vel Accidentalibus peccatorum actualium, quòd agnitione eòrum accedat pœnitentia, quæ hominem reddat cautiorem, ut dein misericordiam DEI magis imploret, meritumq; Christi in tempore gratiæ sibi applicet. Hinc quoque dantur peccatorum species, vel gradus.*

Theſis IV.

Dantur peccatorum gradus, vel non omnia peccata sunt aequalia sed, alia aliis sunt graviora, & atrociora.

exhibens.

§. I. *Dari gradus peccatorum probamus* (1) *è Scriptura.* Matth. 23, 24. *ubi quædam peccata camelo, quædam culici comparantur.* & ex Luc. 6, 41. *in quò peccata quædam trabi, quædam festucæ*

festucæ conferuntur Luc. 12, 47. & ex aliis Scripturæ locis Joh. 19,
II. 1. Tim. 5, 8. 2. Pet. 2, 20. (2) *Rationibus*, quia illa differunt
gradibus (a) *originaliter, seu ratione principij*, ubi ratione
causæ efficientis triplex datur peccatorum actualium divisio. *Pri-*
ma desumitur à *principio, seu ortu peccati*: ubi quædam pecca-
ta sunt *voluntaria*, 2. Pet. 2, 13. l. quædam *involuntaria*, Gal. 6, 1. &
hæc vel *infirmatû*, quæ etiam nobis invitis, & repugnantibus,
ex humana suboriuntur inbecillitate: vel *ignorantia*, quæ, nobis
non cogitantibus, vel non putantibus, sunt peccata; illa vero
malitiâ, quæ destinato consilio, & liberâ voluntate à scientibus
perpetrantur. Peccata autem, vel lapsus ignorantia, & infir-
mitatis in renatis cum fide, gratiâ DEI, & Spiritus S. inhabitatio-
ne consistere possunt; quod exemplo Pauli probatur Rom. 7, 15.
Gal. 5, 17. Peccata autem ex malitiâ, & contra conscientiam
commissa, fidem & Spiritum S. excutiunt; De hæc re piè scribit
B. Chemnitius, parte L. L. cap. 3. p. 270. *Quando ergo*
quid admiseras contra conscientiam, nec sollicitus es, ut de ad-
missis lapsibus reconciliationem queras in Verbo, & Sacra-
mentis, nulla ad eî fides, quæ exerceat, & utatur suâ propri-
etate, ac proinde etiam non apprehendit rursus Christum.
Si quis in peccatis contra conscientiam induat illam per sua-
sionem: Scio quidem, Deum hoc non probare, sed tamen
quia est misericors, credo, eum mihi etiam in peccatis pergenti
fore misericordem. Talis persuasio non est vera fides.
Nam proprietas vera fidei non est, querere turpitudinis pri-
wilegium, sed corde contrito querere peccatorum remissio-
nem, in Verbo, & Sacramentis, propter Christum. Ex fru-
ctibus rectè statuitur de arbore. Fructus vera fidei sunt,
non querere occasionem peccandi, non permanere in pecca-
tis, sed mortificare carnem. Et ideo Lutherus inquit, in
artic. Schmalcal. Quando admittitur peccatum con-
trâ conscientiam, amissa est fides. Et Augustinus in-
quit: Infidelitas est, quæ retinet omnia peccata, ne re-
mittantur

mittatur. Et Tertullianus: *Quid est ista persuasio sibi fingere peccandi licentiam, & in corde suo dicere, non nocebit: duntaxat dic, Te pœnitere: Spectrũ hoc fidei est, non vera fides. Multi peccant sub spe veniæ; sed tales detrudentur in infernum.* (b) *Materialiter, seu ratione subjecti, ubi secunda divisio spectatur ratione peccantium:* ita non nulla peccata sunt nostra, quædam aliena, Ezech. 18, 13. s. Rom. 1, 32. 1. Tim. 5, 22. quibus nos communicamus vel, committendo, vel omittendo. *Tertia videm desumitur a personis peccantibus:* Sic quædam peccata sunt *mortalia*, quædam *venialia*. Nam peccatum consideratur, (1) Absolutè, vel ratione sui: vel in se, & in suâ naturâ, juxta legem divinam, & extra Christi meritum, quomodo nullum peccatum est veniale. (2) Relatè, vel cum respectu ad hominem justificatum, cujus præinclinationes, & improvidè dicta, & facta ex incogitantia, & ignorantia non affectata, & similes lapsus, & infirmitates, & motus inordinati, quibus fideles Spiritus Sancti gratiâ reluctanter, dicuntur venialia peccata. Quam distinctionem Calviniani unâ cum Ana-Baptistis tanquam commentum Scholasticum rejiciunt, ut Beza, part. 2. Colloq. Mompelg. p. 73. & Ursinus Explic. Catech. Loco de peccato Q. 3. p. 64. Pontificii autem malè explicant: Sed illis opponimus *partim Scripture fundamenta immota*, in quibus fundatur hæc distinctio peccati, inter mortale, & veniale: Appellatio mortalis peccati petita est ex Rom. 1, 32. c. 7, 5. c. 8, 13. Jac. 1, 15. venialis verò ex omnibus illis locis, in quibus peccata infirmitatis cum fide, & gratia consistere docemus, ut Psal. 32. 1. 1. Joh. 1, 18. quæ conjunguntur Rom. 6, 12. seq. cap. 8, 1. *Partim Patrũ suffragia*, non esse terminos Scholasticorum, sed ante aliquot Secula ante hos à Patribus usurpatos, quod patet ex Tertulliano, qui inter Latinos Scriptores Ecclesiasticos vetustissimus, & Scholasticis Doctoribus multò antiquior, hanc ipsam distinctionem jam tum usu Ecclesiæ receptam fuisse, satis luculenter confirmat, sic scribens in lib. de pudicitia: *Quædam peccata sunt capitalia, seu mortalia, quædam quotidiane incurvationis, quibus omnes ita sumus obiecti, ut*

Et, ut, si nulla sit venia istorum, nemini salus competat. Horum ergo venia erit per exoratore[m] Christum: & Augustino, qui eandem urfit distinctionem, lib. 2. contra Julianum. Item lib. de Spiritu & litera cap. 28. Et Epist. 89. Licet non utatur termino, mortalis, sed illud nominet Lethale, & capitale. Imò ex propria quorundam Calvin. confessione, his terminis utentium. Petrus Martyr, in loco de lib. Arbit. Thef. 26. Wolfgang. Musculus, in L. C. p. 32. Notamus autem contra Calvin. distinctionem hanc esse desumptam, non ex lege; sicut enim omnia peccata, qualiacunq; sint, accusant, damnant, & sunt morte digna, Gal. 3, 10. Jac. 2, 10. Mat. 5, 19; sed ex Evangelio, quod docet: quædam peccata credentibus in Christum, propter eundem non imputari. Hinc dicuntur venialia, nō quòd non sint contra legē; sed quòd non imputantur credentibus. Mortalia dicuntur, non quòd mortem solū mereantur, quòd etiam venialibus competit; sed quòd reatus mortis per ea contrahatur, unde quoque à nonnullis vocantur mortifera: Venialia verò, non quòd in se, ac suā naturā adeò levia sint, ut aternā damnatione sint indigna, veniā verò digna; sed quia DEUS personam, tali modo peccantem, veniā dignatur, unde ab aliquibus vocantur peccata infirmitatis. Observanda autem h. l. probè est distinctio illa, inter peccatum regnans, & non regnans, de qua Paulus Rom. 6, 12. Hæc non est eadem cum distinctione priori, inter peccatum mortale, & veniale, & propterea cum eā non est confundenda. Illa enim propriè orig. peccato competit, quòd regnare dicitur, quando ejus concupiscentiis indulgetur: non regnare, quando illius concupiscentiis resistitur. Hæc verò de Actualibus peccatis propriè accipienda, quæ regnantia peccata dicuntur, quatenus proveniunt à peccato originali regnante, & dominante in infidelibus. Prior distinctio habet respectum ad articulum de Justificatione; Si enim quæritur, cur quædam peccata sint venalia: Respondetur, quia persona fide est justificata, & sub gratia justificante, non autem sub lege condemnante. Rom. 6, 14. Posterior ad articulum de Renovatione. Si enim quæritur, cur peccatum orig. non regnet in homine justificato: Respondetur, quia justificatus

E

regitur

regitur grátiosè à Spírítu S. ejusq; grátia & auxilio, motibus inordinatis, & suggestionibus P. O. resistit. *Contra Pontificios nominamus*, illam distinctionem malè explicari, dum statuunt, peccata venialia eam ob causam à mortalibus distingui, & propterea ita appellari, quòd ex se, & suà natura sint venialia, ac venià digna, absqve ullo respectu, ad misericordiam DEI, & Christi meritum. quemadmodum Pontificii omnes, & Bell. lib. 1. de Amiff. gratiæ & statu peccati, c. 2. & 3, & quòd illa peccata non sint contra, sed præter legem DEI, ut loquuntur, commissa. Nos autem nullum peccatum veniale esse, suà naturà, aut ratione actus sui, & ex lege consideratum, probamus, (1) *ratione objecti*, quia omnia peccata etià minima, contra æternam DEI justitiam committuntur, atqve merentur mortem, ac æternam damnationem. (2) *ratione formæ*, quia omne peccatum est *avopía*, & transgreditur DEI legem, facitq; hominem totius legis reum, Deut. 27. ult. Gal. 3, 10. Jac. 2, 10. (3) *Ratione subjectorum*, in quibus omne peccatum morte dignum est, etsi eam, ipso actu non inferat, propter aliquod accidentale, & extrinsecum, Exod. 34, 7. Job. 15, 14. Psal. 143, 2. Rom. 8, 1. (4) *Ratione effectus, vel offensionis*, quia DEUM ita offendit, ut etià à renatis in judicio rationem exigere posset, si vellet, Matth. 12, 35. 36. (5) *Ratione adjuncti*, quia omnium peccatorum remissio etià renatis est necessaria, & fide à DEO impetranda, Psal. 32, 5. Distinguendum autem contra Pontificios, inter ipsum reatum, & reatus gradum; *quoad reatum* omnia peccata sunt mortalia, quando peccatum consideratur abstractè, formaliter, & causaliter, tùm nullum eorum veniale: *quoad reatus gradum verò*, quædam magis sunt mortalia, quando peccatum consideratur concretè, & subjectivè, seu respectu personæ regenitæ, vel non regenitæ, quomodo aliquando quædam venialia sunt. Aliud autem est, actu esse mortale, & mortem inferre, & aliud suà naturà mortale. Peccata infirmitatis sanctorum in hâc vita non sunt actu, sed naturà mortalia, id est, ita sunt comparata, ut possint adferre mortem, nisi persona esset sub gratia. Locus, quem opponunt ex 1. Joh. 5, 16. quòd aliquod peccatum dicatur non ad mortem, non absolutè, & simpliciter

placiter intelligendus, quasi sit aliquod peccatum, veniale, sed comparatè, & secundum quid, habito respectu ad peccatum in Spiritum S. quod vocatur peccatum ad mortem, quia propter adjunctam mediorum repudiationem rejectionem, omnem medicinam excludit: peccatum in Spiritum S. vocatur peccatum ad mortem, hoc loco non tam promerendam, sic enim omnia peccata promerentur mortem: quàm certò, & inevitabiliter sustinendam. Quæ verò peccata, vel ex mala consuetudine, vel ex securitate, vel non adhibitâ saltem tanta sollicitudine, & cautione, quantum in cavendis corporis damnis adhibere prudentes solent, committuntur, ea venialia dici nequeunt, quamvis plena voluntate non sint commissa. Mortalia peccata ex eventu, id est, per veram pœnitentiâ fiunt venialia, & pœnitenti, serioq; dolentiremittuntur, propter justitiam Christi fide apprehensam 1. Joh. 2, 2. Ezech. 18, 23, Matth. 11, 20. Rom. 3, 25.

S. II. *Ratione materiae, vel objecti*, quædam peccata committuntur immediatè, contra ipsum DEUM, ut blasphemiam &c. quædam contra homines, & quidem, vel contra proximum, ut odium, homicidium, ira, &c. vel contra propriam personam, ut ebrietas, fornicatio, quemadmodum illius divisionis fundamentum extat. 1. Sam. 2, 25. Tit. 2, 12. quædam peccata dicuntur *carnis, vel carnalia*, quædam *Spiritus, vel spiritualia*, quorum illa per corpus committuntur, 1. Cor. 6, 18. 2. Cor. 7, 1. hæc in anima locum obtinent, v. g. hæreses, &c. quædam peccata ratione actus, sunt *commissionis*, quædam omissionis, Matth. 3, 10. c. 25. 30. 42. seq. Luc. 12, 47. 1. Joh. 3, 17. Omissio autè alia fit ex voluntate implicita, vel explicita, Luc. 12, 47. 48, ubi servus, qui novit voluntatem Domini, & omisit sese præparare, quod debuit, omisit voluntate explicita: Servus autem, qui non novit voluntatem domini sui, & omisit, quod debuit, debitum omisit, voluntate implicita. Est igitur omissio hæc formaliter non est actus, est tamen in omissione implicita naturalis quædam nolitio, quæ non vult DEO obedire, quamvis sciret, quomodo oporteat obedire. Utraq; omissio damnatur in scriptura: Prior Jac. 4.

...terior, Matth. 25, 42. &c. Ubi maledi-
ti excipiunt, quod Christum non viderint esurientem &c.
Utraq; Matth. 3, 10. c. 7. 15. Luc. 13. 7. Joh. 15. 2. &c. Perfectionis
omissio, quæ deprehenditur in justificatis, suâ naturâ etiam
est peccatum mortale, Gal. 3, 10. &c. Ubi permanere in o-
mnibus, significat, omnia mandata debita perfectione implere.
Quâ perfectione omisâ, justificatus in omni opere bono peccat,
nam opus justificati, est quidem bonum *inchoatè*; non autem
perfectè: Peccatum autem à seipsò, secundum suam naturam, ni-
hil differt ante gratiam, & post gratiam, quia est, & manet *avopia*.

§. III. *Ratione forme peccatorum*, quæ est *avopia*, quæ-
dam peccata dicuntur contra *primam*: quædam contra *secundam*
pugnare *Tabulam*. *Ratione effectus, seu reatus*, quædam
sunt *majora*, & atrociora, & ad DEUM clamantia, quæ etiam ta-
centibus, & conniventibus hominibus, ad DEUM clamant, &
vindictam exquirunt, ut sunt innocentum occisio, Gen. 4, 10. &
Sodomitica commixtio, Gen. 18, 20. quæ ne nominari quidem,
multò minus audiri inter Christianos debebant: quædam sunt
minora, & ad DEUM non clamantia,

§. IV. *Ratione Adjunctorum*, quædam peccata sunt
graviora, quædam *leviora*, Ezech. 16, 47. Luc. 11, 26. 2. Pet. 2, 20,
quædam *occulta*, quædam *manifesta*, 1. Tim. 5, 24. quædam *regnantia*,
quædam *non regnantia*, Rom. 6, 12, quædam peccata conjuncta
sunt cum *induratione*, & *excecatione*, ut videre licet in Pharaone, &
Judzis, quædam *nondum cum induratione, & excecatione*
conjuncta: quædam peccata sunt *remissibilia*, quoddam verò est
irremissibile: Hoc dicitur peccatum in Spiritum S. commissum:
cujus distinctionis fundamentum habetur in verbis Christi, Matth.
12, 31. 32. Marc. 3, 28. Luc. 12, 10, 1. Joh. 5, 16.

Thesis V.

*Peccatum in Spiritum S. est veritatis Evangelicæ evi-
denter agnita, & in conscientia approbata, voluntaria, &
malitiosa*

*malitiosa abnegatio, cum hostili impugnatione, perseveranti
blasphematione, & omnium mediorum salutis obturata re-
jectione, conjuncta.*

Exdctis.

S. I. Peccatum hoc dicitur in Spiritum S. commissum, non ratione essentia, & persona, quâ DEUS est, eò enim modo, qui peccat in Spiritum S. ille quoque committit peccatum in Patrem, & Filium, quoniam Patris, Filii, & Spiritus S. una est essentia, divinitas, æqualis gloria, & coæterna Majestas, ut loquitur *Symb. Athanas.* Sed ratione officij, & beneficij consideratum, quale est, homines per verbum, & Sacramenta illuminare, de DEI voluntate testari, deducere in agnitionem divinæ veritatis, eosdem de ea convincere. Qui ergò huic veritati resistunt scientes, & volentes, illamque agnitam, cum blasphemia finaliter impugnant, illi committunt peccatum in Spiritum S. & hæc in parte differt à peccato in Filium hominis commissum, quod est doctrinæ Evangelicæ, vel nondum agnitæ per ignorantiam, & Zelum præ posterum oppugnatio, vel jam agnitæ ex infirmitate, ac metu periculi, sine ulla tamen ejus hostili blasphemia abnegatio: In Spiritum S. verò, quod itidem fertur in doctrinam de Christo; sed prius agnitam, postea verò ex contumaci malitia voluntatis oppugnatam, & blasphematam. Dari peccatum tale probatur ex locis Scripturæ classicis, sedem propriam, & definitionem peccati hujus continentibus, quæ sunt; Matth. 12, 31. 32. Marc. 3, 28. 29. Luc. 12, 10. collatis cū Ebr. 6, 4. 5. 6. cap. 10. 26. & esq. 29. Ex quibus hæc essentialia, & inseparabilia requisita peccati in Spiritum S. colliguntur: quod (1) *Ex parte Subjecti*, requirat hominem verè illuminatum, & mysteria fidei edoctum, convictum quoque testimonio Spiritus Sancti; postmodum autem prolapsum, vel cæcum, & contumacem factum. (2) *Ex parte objecti*, ut blasphemia feratur in Spiritum S. testificantem intus in homine, & convincentem illum, suâ gratiâ. Nam Matth. 12, 30. & Marc. 3, 30. Christus distinguit inter blasphemiam commu-

nem, cuius objectum circa quod, est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Et blasphemiam, cuius objectum circa quod, speciali ratione, vel primario, est solus Spiritus Sanctus. (3) *Ex parte modo*, ut sit blasphemia per notoriam malitiam, falsitatem, calumniam, contemptum, internam & externam persecutionem, ac denique (4) *ex parte durationis, ut continetur illa blasphemia, usque ad mortem.* Blasphemare autem significat, DEO vel detrahere, quæ DEI sunt, & ad illius gloriam pertinent, vel attribuere, quæ ad illius ignominiam faciunt. Quod verò sit irremissibile, patet, ex locis citatis: Non ex parte vel DEI, vel meriti Christi, vel peccati in se, sic nullum peccatum irremissibile datur, sed ex parte personæ peccantis, omnia media salutis ordinaria cum finali impenitentia, quæ cum hoc peccato semper, & inseparabiliter est iuncta, hostiliter respicientis, & sic peccatū in Spiritum S. irremissibile dicitur, quia culpā ipsius hominis ita peccantis, modo ordinario à DEO instituto remitti non potest.

§. II. *Causa efficiens*, seu subjectum committens hoc peccatum, sunt homines adulti, iūq; antea illuminati, & de veritatis Evangelicæ certitudine, in conscientia convicti, Ebr. 6, 4. 5. c. 10. 26. 29. illi itaq; in hoc loco intelliguntur, qui in habitu peccandi scientes, & volentes, sine penitentia perseverant. Duo in hoc peccato notanda, ratione originis. (1) Datur *Mens seu intellectus*; peccatum enim in Spiritum S. non ex ignorantia, sed ex plenâ agentis scientiâ committitur, ut perspicuum est ex locis allegatis. Quidam ergo ex Christi crucifixoribus, pro quibus Christus oravit, Luc. 23, 34. additâ ratione, quoniam quid faciant, nesciunt: & Apostolus Paulus blasphemus, persecutor Ecclesiæ ignorans, ut de se testatur 1. Tim. 1, 13. peccatum in Spiritum S. non commiserunt (2) *Voluntas*: peccatum enim in Spiritum S. non ex infirmitate, aut metu periculi, aut persecutionis, ut peccatum in Filium hominis commissum, quod scienter quidem, non tamen planè liberâ, cuiusmodi erat lapsus Petrinus, Matth. 26, 20. &c. sed ex plenâ malitiosâq; voluntate committitur, quod patet, ex Ebr. 10, 26. 1. Tim. 4, 1. 2. & Scripturæ exemplis Pharaonis

onis Exod. 5, 2. Auditorum Prophetæ Jeremiæ, Jer. 6, 10. C. 7. 16.
17. Pharifæorum Matth. 27, 63. Joh. 8, 48 52. Act. 6, 11. seqq.

S. III. *Materia circa quam, seu objectum peccati in Spiritum S. est ipse Spiritus S. non ratione essentia, & persona, ut antea probavimus; sed officij, & testimonij.* Contumacia autem, quâ in Spiritum S. peccant, est vel totalis, vel partialis. Illa est, quando quis totum Christianæ Religionis fundamentum, contra conscientiam, sciens, volensq; abnegat. Hæc fit, quando quis contra conscientiam pertinaciter, vel finaliter cum blæphemia negat, quòd Christus sit filius DEI, & Messias, mundiq; Redemptor, prout Pharifæi Christum Servatorem abnegabant, Matth. 12, 30. vel quando quis legem Mosis, vel Prophetam alicujus Prophetæ, non esse doctrinam DEI, dicit, & quòd Prophetarum libri non sint *Jeromsusci*, neque ex instinctu Spiritus Sancti; sed ex impulsu alterius alicujus Spiritus perscripti, & quòd horrendum dictu! Diaboli doctrinam contineant, hancq; blasphemiam pertinaciter defendit.

S. IV. *Forma peccati in Spiritum S. consistit in 4. requisitis essentialibus, peccatum hoc constituentibus, atqve cum eò concurrentibus, quorum (1) veritatis Evangelica evidenter, ac sufficienter agnita, & approbata, ex plenè liberâ, & non impedita voluntate factâ, malitiosa abnegatio.* Ebr. 6, 4. c. 10, 26. seq. (2) *Veritatis sufficienter agnita blasphematio* Matth. 12, 30. Marc. 3, 30. Ebr. 6, 6. (3) *Veritatis agnita, & approbata, hostilis, & voluntaria oppugnatio,* Matth. 12, 31. 32. quæ fit vel internè, corde, vel externè, ore, opere: vel voce, calamo, ferro flamma, quemadmodum exemplum Pharaonis, Pharifæorum evidentissimè ostendunt: De hisce Apostatis dicitur Ebr. 6, 6. quòd denuò crucifigant, sibimetipsis Filium DEI. (4) *Omnium mediorum salutis obliata, & finalis rejectio* Ebr. 6. 4. 5. 6. c. 10. 29. Hæc quatuor requisita peccati in Spiritum S. essentialia, semper conjunctim, nunquam seorsim, & separatim concurrunt, illudq; demum peccatum in Spiritum S. dicendum, de quo illa omnia conjunctim verifi-

verificari possunt: Nam si unum horum deest, peccatum in Spiritum Sanctum non est dicendum. Nec enim sola veritatis abnegatio, nec sola veritatis oppugnatio, & blasphemia, nec sola impœnitentia finalis peccatum hoc constituunt; sed veritatis agnitæ malitiosa abnegatio, oppugnatio, blasphematio, & omnium salutis mediorum rejectiõ. Committitur autem hoc peccatum non tantum contra doctrinam Evangelii; sed etiam circa legem DEI, non quatenus ea est norma, & regula vitæ, vel actionum humanarum; sed quatenus est doctrina, vel verbum DEI. Nam priori modo contra legem peccat, qui eam violat, & transgreditur, quomodo omne peccatum morale est contra legem DEI. Posteriori modo circa legem divinam peccant, qui eam contra conscientiam negant, neque agnoscunt pro verbo DEI, vel lege divina. Non autem *abnegatio tantum*, hoc peccatum constituit, quia Petrus quoque veritatem, vel Christum, abnegavit, sed non malitiosè, nec in isto peccato perseveravit: *Non oppugnatio tantum*, quia Paulus etiam doctrinam Evangelii; sed inscius; sed respiciens ab hoc peccato oppugnavit: *Non blasphematio tantum*, quia Tyranni, & persecutores sæpius idem faciunt, quorum tamen nonnulli Christo adducuntur; *Non impœnitentia finalis tantum*, quia peccatum in Spiritum S. committerent omnes, absque pœnitentia ex hæc vitâ discedentes. Quod hoc loco observandum contra *Novatianos, Socinianos*, & quosdam Patres, ut *Origenem* in cap. 12. Matth. qui quodvis enorme, & inexcusabile delictum post Baptismum commissum, vel quamvis blasphemiam in Deum, vocant peccatum in Spiritum S. & contra *Magistrum Sententiarum*, in 2. distinct: 43. & *Thomam* in 2. 2. quæst. 14. qui peccatum in Spiritum S. esse dixerunt, peccatum ex malitia. Quæ sententia, si peccatum in Spiritum S. ex parte consideratur, quidem vera est, non autem quæstioni satisfacit. Non enim quod libet peccatum ex malitiâ propriè, & singulariter est peccatum in Spiritum S. Scriptura enim hoc longè aliter describit, sicut antea probavimus. Si enim peccatum ex malitia esset peccatum in Spiritum S. nec publicano, nec latroni, nec incestuoso peccata sua enormia remitti potu-

ti potu-

si potuissent. Licet autem impœnitentia, vel incredulitas unum
ultimum requisitum sit hujus peccati, non tamen ipsam formam
exprimit, ad quã requiritur veritatis agnitæ malitiosa abnegatio,
blasphematio, oppugnatio, & omnium mediõrum salutis, hostilis, &
finalis abjectio; aliàs sequeretur omnes eos, qui finaliter impœni-
tentes ex hac vitã discedunt, peccatũ in Spiritum S. committere;
quod est falsissimũ. Causa irremissibilitatis hujus peccati, non est
absoluta DEI reprobatio, nam tale absolutũ decretũ non datur,
neque passionis, & satisfactionis Christi negatio, pro illis, qui in
Spiritu S. peccant, sicut *Zanb.* Tom. 7. de Remiss. peccatorum
p. 238, 239. Et in depuls. calumn. p. 257. & illi, qui cum ipso fa-
ciunt. Distinguendum enim est, inter ipsum peccatum, & id,
quod cum peccato, ut circumstantia quædam est conjunctum: pro
omni omninõ omnium, & singulõrum hominum peccato satis-
fecit, sed non opus fuit satisfacere pro ipsa perseverantia, & fina-
litate, seu finali perduratiõne, hæc enim præcisè sumpta, per se non
est *aropia*, & iniquitas, aliàs omnis perseverantia esset iniqui-
tas, Satisfecit ergo Christus pro finali impœnitentia, & *aropia* per-
severante, non quatenus finalis, & perseverans est, sed quatenus
impœnitentia, & *aropia*, h. e. *aropia*, vel peccatum est. Ante
omnia autem inter peccatum hoc, ut inchoatum est, & ut con-
summatum, suisque numeris omnibus completum, ut Theologi
loquuntur, hic distinguendum est: Irremissibile vocatur,
quatenus nullum requisitorum deest. Quod de reprobis,
si quær. An Christus pro iisdem sit mortuus? resp. idem
de peccantibus in Spiritum S. respondendum, dicimus: Christus
passus est pro iis, qui sunt reprobi, non quatenus sunt reprobi.
Pro impœnitentia enim, & incredulitate finali passus non est,
quippe quæ damnationẽ semper ipso actu infert, secundum istud
Marc. 16, 16. interim pro reprobõrum peccatis, juxta legem DEI
damnationem merentibus, passus est: Sic etiam Christum pro
iis, qui peccatum in Spiritum S. committunt, non quatenus tale
peccatum committunt, passum & mortuum esse, dicere possu-
mus. Proinde causa irremissibilitatis peccati in Spiritum S.
non est negatio passionis Christi, quod patet ex illis Scripturæ
dictis, quæ

F

dictis, quæ

... quæ unquam, tum Christum pro omnibus peccatoribus, nemine excepto, esse mortuū, Rom. 5. 6. 2. Cor. 5. 14. 15. Ebr. 2. 9. tum quoq; ipsius passiones, seu sanguinem ab omni labe, & peccato nos mundare. 1. Joh. 1. 7. c. 2. 2. Tit. 2. 14. 1. Cor. 6. 20. 1. Pet. 1. 19. 2. Pet. 2. 1.

§. V: *Finis* hujus peccati in Spiritum S. *alius est respectus Diaboli impellentis*, tum calcanei *Jeſu* *ſcōlaris* admorſio, Gen. 3. 15. tum hominis ab æterna ſalute abductio, 1. Pet. 5. 8; *alius respectu hominis peccantis*, propriæ libidinis expletio. Sic multi dantur Apoſtata, qui honores, divitias, & alias delectias mundanas, & temporalia, quæ tamen momentanea, & caduca, cœleſtibus præferunt, atq; ſeipſos æternâ privant beatitudine, quemadmodum Chriſtus dicit Matth. 16. 26. unde etiam illud peccatum ratione finis dicitur peccatum ad mortem, 1. Joh. 5. 16. non in ſenſu generali, ſic enim omne peccatum dicitur mortale quoad reatum; ſed ſpeciali, quia ſemper mortem æternam, ceu comitem ſecum ducit Vid. Theſ. 4. §. 1. in fine,

§. VI. *Adjuncta* peccatum in Spiritum S. comitantia ſunt multa, quorum præcipua ſunt (1) *Gravitas*, quoniam eſt peccatum graviffimum, reſpectu peccatorum illorum, quæ poſt lapſum committuntur. (2) *Irremiſſibilitas absoluta*, quam vocem *Pontificij* malè pro difficiliſſimo remiſſibile interpretantur, ſicuti morbi incurabiles hi dici ſolent, qui difficiliſſime curantur. Sed refutantur ex Matth. 12. 31. Marc. 3. 28. Luc. 12. 10. ubi Chriſtus dicit: omne peccatum remittitur, vel omne genus peccati remitti poteſt hominibus, peccatum autem in Spiritum S. vel Spiritus blaſphemia non remittetur, vel quicumq; blaſphemarit in Spiritum S. non habet remiſſionem in æternum, ſed tenetur æterno Judicio. Nam impoſſibile eſt, ita peccantes denuò renovari per pœnitentiam. Reliqua autem peccata, dicuntur propriè non irremiſſibilia; ſed irremiſſa. Eſt enim ob abſentiam veræ pœnitentiæ, in multis actu non remittuntur, non tamen impoſſibile eſt, ea remitti; nam ſæpe ipſo actu pœnitentibus remiſſa ſunt

sunt. Dicitur irremissibile, non ob defectum gratiæ divini, quæ semper exsuperat peccatū, Rom. 5, 20. cum sit infinita: nec ob defectum meriti Christi, qui pro omnibus peccatis plenissimè satisfecit, 1. Joh. 2, 2. Sed ratione ipsorum hominum, cum blasphemiâ, & impœnitentiâ finali, salutis media pertinaciter contemnentium, & abjicientium; hoc peccatum dicitur irremissibile, ab irremissibilitate, quâ non potest remitti ob impossibilitatem pœnitentiæ. (3) *Cum summa cœcitate conjuncta induratio*, quæ infallibiliter consequitur, ut omnis peccans in Spiritū S. sit induratus, non autē contra (4) *Impœnitentiâ finalis*, quæ non potest esse forma hujus peccati, quia non recipitur cum eò: multi enim in peccatis morum perseverant, & sic finaliter impœnitentes sunt, nec tamen peccant in Spiritum S. nunquam autem datur istud peccatum, nisi conjunctum cum finali impœnitentiâ, ratio est, quia nunquam remittitur: Unde haud facilè quisquam ante obitum peccati hujus reus constituendus, potest enim fieri, ut quis videatur nobis peccare in Spiritum Sanctum, qui tamen sub finem pœnitentiam agat, exemplo Manassis. (5) *A precibus exclusio*, prohibuit namq; DEUS, ne pro blasphemis in Spiritum S. oremus, 1. Joh. 5, 16. Si nobis de ejus peccato certò, & indubitato constet: Non autem temerè judicandum est de homine tali, quia sapè falli possumus. In primitivâ Ecclesiâ habuerunt quidem donum *ἀφεσίσεως πνευμάτων*, 1. Cor. 12, 10; sed cum id jam cesset, nobisq; de formâ hujus peccati indubiè, ratione subjecti & finalis impœnitentiæ, non constet, persecutores, & blasphemos Apostatas, si corrigibiles, & sanabiles, precibus nostris comprehendimus, ut in regiam veritatis viam redeant, sicq; tandem salventur. Si dixeris: Christum tamen orasse in cruce pro Phariseis excæcatis, & induratis, quos scivit, peccasse in Spiritum Sanctum, & propterea pro illis, qui peccant in Spiritum Sanctum orandum esse. Respondet Meisnerus Disp. 10. *Αφθροπολογ*: S. de peccato in Spiritum Sanctū quæst. 3. §. 12. Christus non oravit pro peccantibus malitiosè, sed ignoranter. Dicit enim, *Remitte iis Pater, quia nesciunt, quod faciunt*, Precatio Christi fuit duplex: altera *genemliu*, quâ
pro

pro toto genere humano apud Patrem intercessit in redemptione; altera *specialia*, quæ pro piis tantum, & convertendis effudit. *Illâ* acquisitionem, *hâc* applicationem salutis petiit. *Illo* modo pro induratis Pharisæis rogavit, non autem *hoc* posteriori. Plura hujus qui expetit, conferat *Feurbornium*, qui integrum Tractatum de peccato in Spiritum Sanctum edidit, Meisnerum, & alios Orthodoxos Theologos, quos consulere potest. Tantum per Spiritus Sancti gratiam.

GLORIA CHRISTE TIBI, QUI MUNDI CRIMINA TOLLIS.



DE Lapsu prodit Tua dissertatio tristi
ELVERSI: summæ cognitionis opus.
Hâc Tu demonstras, quæ prima ab origine culpa,
Quæq; sit in Christo nostra medela luis.
Hic labor, ex imis voce penatralibus, esto
Encomium famæ dulce decusq; Tuæ.

*Hoc PræEximio atq; præclarè docto Domino Autori
& Respondenti hujus disputationis fulgidissimo,
Amico suo integerrimo, cum omnigena salutis
benedictione Sverino mittebat*

JOACHIMUS MOLLYUS,
Scholæ illustris Sverinensis
Con-Rector.

Em

EN meas exposcis *Ocellè* Mufas,
Pignus ut cernas animi faventis,
Pristini, & candoris, amor fovet, què
Pectore nostro.

Sed *Tua* dum figo lumina scriptis,
Dim Majestas animo meopte
Cernitur, quò fluctuo mente, luctus
largiar, anne

Plausuum nunc lata canam: *Scelg* nam
Triste Majorum, nimiumq; fæda
Quæ lues nobis oriens eò prohi!
Cernitur à me.

Sava Majestas ea, quin *Tyrannus*,
Quem timet quodcunq; timetur, *Ater*
Regna multo possidet *ille* lata
Sparfa cruore.

Ambitu quicquid spatiosus orbis
Vasto concludit, *rabiosa Sceptra*
Perdomant, quin Sceptra parent sub
hocce *Omnia Sceptro.*

Sed *Tyranni* se rabies *Cruenti*
Pandit atrocissima, duriùs dum
Corpus, & leves hominum catenis
Subjugat auras:

Audio extortos gemitus eorum,
Bella ferro cincta gerentium, *Prob!*
Nosne tandem quis liberabit istoc
Corpore mortis?

Lecta pagellis ea sunt tuis. Quid?
Prohibebis ne evaporare justos,
Flammifer quos exprimit *Tyrannus*
Pectore planctus.

Non puto. Num verò aberunt fugati
Penè plausus? nec gratulabitur quid
Candidoram candida mens *Amico?*
Exulet omen.

Quin meret laudem *Tua* docta nec nò
Nobilis depicta *ferocis* *busus*,
Atq; frendenti. *Facies Tyranni.*
Gaudia pangam.

Præsides vos *Varniaci* *Lycei*
Laude *clara* extollite sempiterna
Et *Mei Elverfi* pariterq; *Vestri*
Lumina mentis

Multa castæ juba dent theatra
Palladis, laudumq; seges *Tuarum*
Floreat, messisq; sequatur alba,
Vive pacatè.

His paucis gratulabatur Amicorum Optimo

Joachimus Eggertus,

1.
Sellest du der edlen Jugend
Uñ der hohen Wissenschaft
Hin zum Opser deine Jugend
Und den ersten Frühling's Saft/
Laf dich keiner Müh verdriessen/
Alles wird die Frucht versüssen.

2.
Wer was rares will erstreiten/
Wie der tapfer Jason that/
Der scheu keine Bitterkeiten/
Solge nur Medenen Raht;
Für dē Schweiß das Fell die Krone/
Ihm doch endlich wird zu Lohne.
Wer

3.
Wer mit Ruhm will Kronen trage/
Die der überwinder kriegt/
Muß zuvor die Feinde schlagen/
Ohne Kampf wird nie gestegt;
Streiten und die Feinde legen/
Bringe dem Streiter süßes Pfla-
gen.

4.
Murzen Geschmeiß das liebee
Nur de blossen Wollust-Dunst/
Doch der sich in Künsten übet/
Und wehlt hochgeschätzte Kunst/
Der kan mit der Tugend siegen/
Diese läßt nicht unter liegen.

5.
Tugend die kan ihn erheben
Zu der hohen Sternen-psort/
Tugend läßt ihn sicher schweben/
Für des Neidharts geifer Wort/
Tugend leßt ihn nimmer sterben/
Tugend leßt ihn nicht verderben.

6.
Drumb so mögen Falsche sprechen
Was sie giftig aufgehelt/
Laß sie mit den Zungen stechen/
Er hingegen bleibi bedekt
In der Burg der Tugend liegen
Die kein Theon se erstiegen.

7.
Er Herr Elvers ist zu preisen/
Der zum zweyten mahl beweißt
Seinen Fleiß in PHOEBUS
weisen;
Glük zu solchem Tugend-
Geist!
Ihm verspricht zum Tugend-Lohne
DEIUS die Ehren-Krone!

Mit diesem wenigen Wunsch-zei-
len/ beehrte den Herrn Auctorem
als er zum zweyten mahl unter
dem Præsidio des (Tit.) Zn. D.
MICH: COBABI disputirte /
dessen beständiger Freund.

J. H.

PRælia docta cies iterum, dulcissime FRATER
De tristi NOXA, pestiferaq; LUE.
Gratulor has pugnas: non dêrit fautor Apollo
Gratulor: hæ pugnae justa brabea ferant;

*Germano suo germanam mentem testamenturus
paucula hac adponere voluit.*

Daniel Elvers/ LL. Stud.



EN meas exposcis *Ocellæ* Mufas,
Pignus ut cernas animi faventis,
Pristini, & candoris, amor fovet, quæ
Pectore nostro.

Sed *Tu* dum figo lumina scriptis,
Diva *Majestas* animo meopte
Cernitur, quò fluctuo mente, luctus
largiar, anne

Plausum nunc læta canam: *Scelo* nam
Triste Majorum, nimium quæ; sæda
Quæ lues nobis oriens eò proh!
Cernitur à me.

Sæva *Majestas* ea, quin *Tyrannus*,
Quem timet quodcunq; timetur, *Ater*
Regna multo possidet ille læta
Sparsa cruore.

Ambitu quicquid spatiosus orbis
Vasto concludit, *in* *bio* *Sceptra*
Perdomant, quin *Sceptra* parent sub
hocce *Omnia Sceptro*.

Sed *Tyranni* se rabies *Cruentis*
Pandit atrocissima, durius dum
Corpus, & leves hominum catenis
Subjugat auras:

His paucis gratulabatur

Joachim

Seltest du der edlen *Zugend*
Uñ der hohen *Wissenschaft*
Hin zum *Opyer* deine *Zugend*
Und den ersten *Frühlings* *Gast*!
Laf dich keiner *Müh* verdrießen/
Alles wird die *Frucht* versüßen.

Wer was *ra*
Wie der *ta*
Der scheu *kei*
Folge nur
Für dē *Schw*
Ihm doch *en*

Audio extorto
Bella ferro cind
Nosne tandem qu

Læta pagellis e
Prohibebis ne
Flammifer quos

Non puto. Nu
Penè pla usus?
Candidoram ca

Quin meret læ
Nobilis depict
Atq; freudentis

Præsides vos V
Laude clara ex
Et Mei *Et* *vers*

Multa castæ ju
Palladis, laud
Floreat, messis

the scale towards document

